


875
M366p


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

PROPEMPTICON

QVO

TRES IVVENES NOBILISSIMOS

DISCIPLINAE NVPER SVAE ALVMNOS

PROSEQVITVR

AC DE

POMPEIANIS INSCRIPTIONIBVS

VNAM SIMVL INTERPRETATVR

GEORGIVS HENRICVS MARTINI

SCHOLAE AD D. NICOL. RECTOR

LIPSIAE 1779.

LITTERIS SOMMERIANIS

NOBILISSIMIS ATQVE POLITISSIMIS
CAROLO HENRICO
C. G. F. WINKLERO
CHRISTIANO FRIDERICO
RVIDIGERO
ET
IOANNI GODOF. QVANDTIO
IVVENIBVS OPTIMIS
OPTIMARVM LITTERARVM
IN PRIMISQVE IVRISPRVDENTIAE STVDIOSISSIMIS
S. P. D
G. H. MARTINI

Per morbum valdeancipitem, quo me nuper laborasse nostis, *Iuuenes optimi et politissimi*, ego vos, e nostro litterarum ludo exeuntes, quo constitueram modo, dimittere non potui. Decuit enim, me VOBIS, stadium Academicum ingressuris, cursum apprecari laetissimum; VOS item ad litteras, in quibus adhuc versati eratis, studiose continuandas, et cum disciplinis subtilioribus nunquam non copulandas, cohortari; VOBIS denique meum erga VOS studium, meum amorem, satis iam testatum, in posterum quoque polliceri. Feci tum quidem, quod meministis, haec omnia verbis admodum paucis; quantum scilicet debilitatae corporis vires sinebant: sed mihimet ipse adeo non feci satis, vt ex eo statim tempore, meum erga VOS studium publice testificari decerne-



rem. Quod, quoniam in praesenti per vires satis confirmatas licet, non diutius differendum puto, sed primo quoque tempore exsequendum.

Igitur ante omnia VOBIS, I. O. quorum ingenio, discendi alacritate, moribus, quam maxime delectabar, non sine magna animi laetitia gratulor, quod bene instituti litteris iis, quae inferioribus in scholis traduntur, ad subtiliores disciplinas tandem audiendas tractandasque accessistis. Iacto enim fundamento satis firmo, fieri potest, vt reliquum eruditionis VESTRAE quasi aedificium, in eo constituendum, itidem firmum et stabile futurum, nec propter ipsius fragilitatem metuendum sit, ne hoc, veluti infantulorum aedicula, e chartis lusoriis composita, leuissimo quoque spiritu vel impetu collabatur. Multi enim, de quo complures saepe iam questi sunt, ac me ipsum querentem audiistis, adeo rudes et inexercitati subliniores adgrediuntur disciplinas, vt scholis magistrorum, qui eas latine docent, non nisi tanquam κωφὰ πρόσωπα interesse possint; adeoque spem faciant perexiguam, ipsos sua aliquando scientia cum ciuibus aliis, tum vniuersae reip. multum profuturos. At vero VOS eo studio, ea discendi cupiditate nostram frequentastis scholam, eosque in artibus humanitatis progressus fecistis, vt optima quaeque de VESTRIS studiis exspectare possint magistri, parentes, patria. Qua de caussa Deum o. m. supplex rogo, velit VOBIS, in stadio Academico decurrentibus, praeter valetudinem firmam, ingenii vim aciemque tantam et tam eximiam largiri, quanta et quam eximia opus est, vt, quod sequimini, assequamini etiam, virique euadatis, cum eruditi et rerum multarum gnari, tum καλοκἄγαθοι, qui patriae praesidio, *Parentibus optimis* ornamento, magistris honori, ciui cuique

VE-

VESTRAM opem imploranti, conſilio eſſe poſſitis! Quod ſi VOS aſſequutos videro, tum me iure quodam meo felicem fortunatumque iudicabo.

Tum etſi ſublimiores, quas vocant, diſciplinas iam indagatis, in eisque diſcendis verſamini: tamen nolite, I. O. exiſtimare, parum VESTRA referre, longiusne, quas adhuc ſolebatis, perſequamini humanitatis artes, an, his poſthabitis et tantum non contemtis, eis duntaxat, quantum fieri poteſt, incumbatis. Quo opinionis errore ſiquis teneatur, (malo enim id de quouis alio ſuſpicari, quam de VOBIS, quos artium elegantiorum et ſuauitate captos, et incredibili in ipſo iure R. diſcendo vtilitate permotos, ſcio, eis operam daturos) ideoque ſibi temere perſuadeat, ſe eas ſuſque deque habere poſſe: eum profecto multum agendo, quam ſaepiſſime nihil agere, neque in diſciplinis ſubtilioribus indagandis recte et ordine verſari videbitis. Ingenio enim ipſius, litterarum, quas dicimus, ſcientia non perpolito, nec ſubacto, deeſt veri facile videndi acumen, quod accurata veterum Graeciae Latiique auctorum lectione et interpretatione nutritur et augetur: deeſt ſenſus ille pulcri et venuſti, qui, quid in loco qualicunque tractando neceſſarium, ſuperuacuum; aptum, ineptum; elegans, inuenuſtum ſit, illico ſentiat, adeoque iſtud ſequi et ornare, hoc fugere et reſecare iubeat: deeſt exercitationis aſſiduitas, quae mentem diſciplinis ſeuerioribus anquirendis feſſam, et fere oppreſſam, recreandi cauſſa, ad ſuauiora illa ſtudia, ſubinde redire cogat. Quo fiat, neceſſe eſt, vt eiuſmodi adoleſcens, quoniam oblectamenta honeſtiora ignorat, ignorata ſequi non poteſt, aut languori ſe deſidiaeque dedat, aut libros, ſi non turpes, obſcoenos, ad exuendum honeſtatis religioniſque ſenſum ſcriptos, certe qui-



quidem inutiles, non nisi fabulis ingeniose fictis refertos, nec raro absurdos, manu diurna nocturnaque verset, aut denique, per prauos sodales corruptus, ab officioque abductus, flagitiis foedissimis sese inquinet. Hanc qui tenet rationem, quomodo is fiat vir vere eruditus, ad negotia vel sacra, vel ciuilia, recte gerenda idoneus? aut rerum quam plurimarum scientia, aliisque laudibus clarus? Tantum abest, vt talis euadere, vt coelum citius collabi, aut telluris nostrae ciuis qualiscunque agmen bene compositum contra Saturni incolas ducere, ipsos superare, stellamque istam errantem in potestatem suam redigere possit. Ne igitur peruersa eiusmodi iuuenis, vel nihil, vel inconsiderate omnia, vel flagitiose agentis, consuetudine infecti, a laudabili optimarum litterarum studio abstrahamini, summopere cauete, I. O. magnamque contra animi contentionem adhibete, vt, quas amare, quas sequi, quas in deliciis habere incepistis humanitatis artes, eas nullo non tempore persequi, et tractare, ingenium eis VESTRVM magis acuere ac perpolire, et pulcri venustique sensum probabilem confirmare pergatis. Quo facto, VOBIS, disciplinas subtiliores addiscentibus, non solum magno erunt adiumento, sed intelligetis etiam, haec studia, teste Tullio, adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, aduersis perfugium ac solatium praebere; delectare domi, non impedire foris, pernoctare nobiscum, peregrinari, rusticari; ex eisque solis delectationem peti, et animi remissionem, libero homine dignam. Quod vt VOS, rerum vsu condocefacti verissimum esse sentiatis, ego maximopere opto.

Denique quanquam praelectionibus meis interesse desiistis, I. O. neque adeo, quo adhuc, eodem in posterum copulati sumus consuetudinis vincu-

vinculo: tamen nec VOBIS dedecori, et mihi singulari oblectamento sciatis fore, si, necessitudine isthàc quodammodo continuata, VOS me saepius adire, meam super quaestionibus litterariis sententiam explorare, ac me dubiis in rebus consulere non grauemini; vt hac via locus mihi detur, amorem erga VOS pristinum, ac bene de VOBIS rebusque VESTRIS promerendi studium significandi. Nostis animi mei integritatem, aequitatem, propensamque aduersus disciplinae meae alumnos voluntatem; eos in primis, qui pietate in Deum, assiduitate, morum elegantia, obtemperandi studio, ceteris antecellunt, aliorumque impietatem, negligentiam, mores feros et effrenes, contumaciam, modesti tacitique reprehendunt. Cuiusmodi iuuenes, mihi longe prae aliis caros, per omnem vitam amare, tueri, aliis tradere et commendare soleo. Quorum in numero quum VOS fuisse sciam, eoque nomine vehementer diligam, officii ratio me VOBIS, in posterum quoque maxime cupere, laetissima quaeque apprecari, et VESTRAM felicitatem, quantum quidem possum, prouehere iubet. Id quod, si Deo o. m. videbitur, cum caussa VESTRA, tum parentum VESTRORVM nomine efficiam — — — — Parentes enim TVOS, MI QVANDTI, cum homines antiqua virtute et fide, in primis vero *Patrem*, mercatorem perquam frugalem, ciuem iustum, aequum et beneficum, patrem optimum, herum etiam humanum esse, inter omnes constet, huiusque egomet ipse voluntatem liberalem identidem perceperim: honestatis sensus, quem mihi natura inesse, vere praedicare possum, me perpellit, vt et *Ipsis*, et TIBI, *Ipsorum* caussa, summopere faueam, nulloque tempore non optem, vt Deus o. m. non tantum *Ipsos* felicissimos, sed TE etiam, iuris ac



rerum quam plurimarum ſcientia, virtutis ſtudio, et honoribus clarum, *Parentibus tam honeſtis*, ſingulari et ſolatio, et ornamento eſſe iubeat. Hinc velim etiam, TIBI ita perſuadeas, me TIBI rebuſque TVIS nunquam defuturum, ſiquando TVAM proſperitatem, et *Ipſorum* ſpem de TE captam, meis laboribus ſtudiiſque prouehi et augeri poſſe intellexero.

Patri TVO, MI RVIDIGERE, quoniam iamdudum in viuis eſſe deſiit, nemo quidem nec optare quicquam poteſt, nec gratificari. Habes tamen *Matrem*, *feminam honeſtam et integram*, huiuſque fratrem optimum, SIM. FRIDER. OLBRECHTVM, virum iuris ſcientia clariſſimum, de ciuitate patria laudabiliter promerentem, mihique amiciſſimum. Quibus quum TV non poſſis non perquam carus eſſe, et vtriuſque amorem et ſtudium pietate, obſequio, morum elegantia, merearis: horum cauſſa aequum eſt, me TIBI, rebuſque TVIS ſtudere, TVAM ſcientiam praeceptis ſalutaribus augere, TVAM que proſperitatem et conſiliis, et opera, quantum poſſum, prouehere: maxime quum mihi non minus, quam *Ipſis*, honorificum fore videam, ſi TV litterarum ſcientia, prudentia, ingenioque florens, ciuis euaſeris, omni plauſu et honore digniſſimus.

Patrem denique TVVM, WINKLERE NOBILISSIME, virum illuſtrem et magnificum, eruditionis variae et exquiſitae, in primis iuris ſcientia inclutum, multo rerum vſu prudentem, ciuitatis Lipſicae Cos. ampliſſimum, ſcholae noſtrae curatorem grauiſſimum, *Matrem* item TVAM, *Feminam primariam, et optimam*, omni virtutum genere ornatiſſimam, cui intus recteque noſſe contingit, et ex vtriuſque conſuetudine peruidere, quanta ſollicitudine, quanto ſtudio, tam in fratrum TVORVM, quam TVA pſius

ipſius proſperitate ſtabilienda prouehendaque laborent; is non poteſt *Parentes tam eximios*, tamque prudentes, non maximi facere, atque honeſtiſſimum Ipſorum conſilium, quantum in ipſo eſt, adiuuare. Quae omnia quum mihi cognita ſint et penitus perſpecta, et praeter haec, *Pater Tuus longe praeſtantiſſimus* ſuo me patrocinio, *Mater perquam excellens* beniuolentia ſingulari, complectatur: ius et fas eſſe ſcio, me *Eis*, nullo non tempore, quacunque re fieri poteſt, gratificari, debitaque erga *Eos* pietate, erga TE ſtudio, ſignificare, mirifica et paene incredibili, qua me vterque afficiunt, benignitate me non prorſus indignum eſſe. Itaque pergratum *Ipſis* me facturum non ignoro, ſi TE, in ſtadio Academico decurrentem, ſtudio, conſiliis, ſcientiaque qualicunque mea, iuuare haut grauabor. Grauabor autem nullo modo, ſimul ac TV mihi, qua in re meum ſtudium, meam operam deſideres, ſignificare volueris. Interea Deum o. m. pius et ſupplex oro, velit TIBI, rebuſque TVIS, propitius adeſſe, TVOS labores, artibus optimis ediſcendis deſtinatos, fortunare, TE que valetudine proſpera, et laeto rerum omnium euentu ita augere, vt *Parentes Optimi* habeant, cur TE ſaluo, incolumi, doctrinae, morum virtutumque laudibus claro laetentur, eoque nomine omnium fortunam ſuperare videantur; in primiſque vt *Pater Inclutus*, propediem Dresda reuerſus, et Cos. iterum renunciatus, dum rei publicae conſulit, priuatae florem augeri videat, dum ciuium omnium incolumitatem tuetur, e *Familiae ſplendidiſſimae*, TVA potiſſimum, felicitate ſolatium capiat maximum, negotia denique grauiora dum prudenter procurat, TVAE ſcientiae laudiſque incrementis indies magis recreetur.



At enim vero vt, vna cum hoc mei erga VOS amoris documento, aliam accipiatis quaſi teſſeram, quae VOS mihi in paucis caros fuiſſe, nunquam non teſtetur: ſuper loco aliquo, ex antiquitate R. depromto, vt quondam, diſputare, et varia, quae VOBIS prodeſſe, et ad huiuſmodi litteras tractandas incitare poſſint, exponere placet. Qua opportunitate haud dubie dicam nonnulla, quae viris in hoc litterarum genere verſatis, tralaticia, atque adeo minus neceſſaria videbuntur: ego autem illa nihilo ſecius explicabo, vt, ad quae in eiusmodi rebus indagandis animum intendere, et vnde non pauca, quae ad iuris R. diſciplinam pertinent, haurire deceat, ex hac diſſertatiuncula videatis. Nimirum interpretabor VOBIS, I. O. pereleganteṁ aliquam inſcriptionem, quam ex *Pompeiorum* ruderibus, XIII abhinc annis, amplius, erutam accepimus. Eius ἀπόγραφον exſtat cum in libris aliis, tum in commentario qualicunque meo, quo id oppidum, ſeptemdecim ſaecula integra quaſi mortuum, in vitam reuocare, h. e. ipſius originem, hiſtoriam, interitum, iterata eius effodiendi conſilia, item ſigna et artificia vetuſta, inde in lucem prolata, cum ipſorum titulis enarrare adgreſſus ſum. Quam quidem in hoc libello, dum alter operas iam exercet, non temere inconſiderateque diuulgo. Duo enim, hoc facto, ſequor: primum, vt qui in non paucis eius ἀπογράφοις error eſt, facilius ſanari poſſit; tum, vt quae ad ipſam intelligendam neceſſaria quidem ſunt, ſed in libello, lingua vernacula ſcripto, paucis dici non poterant, hoc loco plenius explicare queam. Vnde factum, vt eius lectores, ſiqui pleniorem tituli interpretationem deſiderent, hanc ſcriptiunculam adire monerem. Quod vbi aſſequutus ero, I. N. vosque VESTRAM ſcientiam

inde auxiſſe reſciero, me oleum et operam, quod dicunt, perdidiſſe non putabo.

Inſcriptio ſuper aedis Iſiacae foribus quondam collocata, ibidemque reperta, his verbis expreſſa eſt, et enuntiata:

N. POPIDIVS. N. F. CELSINVS
AEDEM. ISIDIS. TERRAEMOTV. CONLAPSAM
A. FVNDAMENTO. P. S. RESTITVIT
HVNC. DECVRIONES. OB. LIBERALITATEM
CVM. ESSET. ANNORVM. SEXS
ORDINI. SVO. GRATIS. ADLEGERVNT

Eam *Ioannes Lamius*, V. Cel. a Ioſepho Galzerano ſibi miſſam, primus, quod quidem ſciam, in commentariis litterariis, Florentiae confici edique ſolitis, promulgauit: eodemque loco tam virorum eruditiſſimorum, quorum complures hodieque Neapoli litterarum laude florent, ſuper ipſa interpretanda contentionem, ex epiſtola ſimul reddita, quam ſuam de hac quaeſtione ſententiam, expoſuit. Quo facto, alii viri doctiſſimi, Italiae ornamenta, eandem et diuulgarunt, et ſuo quiſque ingenio interpretari conati ſunt. Quae omnia, ſuo quodque loco, paucis attingam, vt VOS diuerſae interpretum diuerſorum opiniones ne lateant. Agite vero, I. O. in arcem rei ipſam inuadamus: et quo monimenti verba ſeſe excipiunt ordine, eo etiam interpretemur.

Verſum primum efficiunt haec: N. POPIDIVS. N. F. CELSINVS. in quibus ſiglas, N. et N. F. cernitis: quarum illam *Numerius*, has *Numerii filius*, ſignificare, idque vocabulum in vſitatis Romanorum praenominibus fuiſſe, iamdudum VOBIS cognitum eſt, atque exploratum. Vnde non eſt, quod heic diu multumque moremur. De ipſo autem *Popidio Celſino* haud dubie ex me ſciſcitabimini, quis homo hic fuerit? quo patre natus? vtrum-

ne



ne maiores habuerit nobiles, rebus bene ſtrenueque geſtis clariſſimos? an ignobiles duntaxat, humileſque et obſcuros? Verum ſi haec quaerantur a VOBIS, ad ea, quod vehementer doleo, per monimentorum paucitatem, reſpondere non licet. Equidem in numis Rom. non memini inuenire, quae *Popidia* dicatur familia: reperi tamen in lapide apud Reineſium *), quo *Serg. Popidius Felicior*, item *Popidia*, commemoratur. Qui lapis, Capuae effoſſus, vna cum noſtro, quem *Pompeiis*, celebri quondam Campaniae oppido, erutum ſcimus, facit, vt *gentem Popidiam* in Campanis floruiſſe credam. Quin fuit tempus quoddam, quo vtrumque hunc *Popidium*, non niſi per lapides notum, ex poſteris eſſe rebar *Q. Popedii Silonis*, non poſtremi inter ſociorum Italicorum duces, bello Marſico vel ſociali celeberrimos **): cuius ductu Marſos, Romam, vt Senatum imprudentem opprimerent, contendiſſe, et a quo Caepionem, ducem aliquem R. per inſidias interfectum eſſe, nemo fere eſt, qui ignoret. Etenim leue, quod inter *Popidius* et *Popedius* eſt, diſcrimen non impedit, quo minus vnius eiuſdemque ſtemmatis homines eſſe poſſint: maxime quum in monimentis vetuſtis E et I non raro permutata reperiantur. Vt in Gruterianis *exſiat* ***) pro *exeat*; *Paperius* †) pro *Papirius*; *beniuolentia* ††) pro *beneuolentia*: quod poſtremum etiam in libris ſcriptis ita reperimus. Sed quoniam alii hominem iſthunc *Pompedium* vel *Poppaedium*, graeci auctores Πομπίδιον, Ποππαίδιον vel Πομπαίδιον vſurpant: quae a noſtri nomine nimium quantum differunt: hanc conie-

cturam

*) Syntagm. Inſcript. p. 710. qui etiam apud Muratorium p. MMLXVII. n. 4. exſtat.

**) Vellei. Paterc. l. II. 16.

***) p. DCCLI. n. I.

†) p. CCV. n. I.

††) p. CCCCXXXXIII. n. 6.

ſturam meam abiicere, quam exornare et tueri, eoque tempus perdere malo. Nobis ſane, diuerſone ab auctore, an vno eodemque originem duxerint iſti homines, perinde eſſe poteſt. Igitur ad alia progrediamur.

Numerii huius patrem idem, quod filius, praenomen, ex ſiglis N. F. idemque nomen gentilicium habuiſſe, ſatis apparet. In hoc nihil eſt, quod cum vſitato Romanorum more minus congruat. Quod vero ad cognomen, patri et filio alioquin itidem commune, attinet; contra Romanorum inſtituta, aliud ei, huic aliud fuiſſe probabile eſt. Quod cur affirmem, illico intelligetis. Nimirum eadem in aede Iſiaca, alio tamen loco, effoſſum eſt Bacchi ſignum elegantiſſimum, e marmore Graeco factum: cuius in baſi hic titulus legitur, N. POPIDIVS. AMPLIATVS. PATER. P. S. quae verba *Numerium Popidium Ampliatum* id dedicaſſe, eoque aedem exornaſſe demonſtrant. Qui quoniam PATER vſurpatur, non poteſt *filium*, eumque de Iſidis templo itidem bene promeritum, non habuiſſe. Hoc enim niſi ponamus, τὸ PATER temere, inconſiderate ac ſine ſenſu, integro nomini adiectum videtis. Vnde id, credibile eſt, diſcriminis cauſſa additum eſſe, ne duo homines pro vno ſaltem haberent lectores, nec quod filius hoc in templo faciundum curauerat, id patri temere tribuerent. Quo ſumto, et conceſſo, *Popidium*, patrem *Ampliati*, filium *Celſini*, cognomentum habuiſſe, videtis. Id quod etſi rarum eſt, inuſitatum tamen, quin prorſus falſum, ne cenſete. Exſtant enim ſexcenta, in auctoribus non minus, quam in vetuſtis marmoribus exempla, quae filiis, maxime poſt Auguſti, imperatoris, aetatem, cognomina alia, ac patribus fuiſſe demonſtrant. Vt, *Veſpaſiani*, imper. nomen integrum erat, *T. Fla-*

uius



uius *Vespasianus:* patris cognomine dicebatur filius ipsius maior*): minor non item, sed *Domitianus.* Exempla alia suppeditat *Zaccaria*, V. Clar. in Institutione antiquario-lapidaria **): cuius librum, probabilem quidem illum, sed nondum satis castigatum et perpolitum, adeatis, necesse est, si in hoc litterarum genere nonnihil videre placeat. Cuiusmodi exempla quum filios persaepe cognominibus aliis, aliis patres appellatos esse confirment: ex eis haud dubie efficietis, I. O. solum cognomenti discrimen non satis esse caussae, cur quispiam *Celsinum* filium *Ampliati* fuisse, addubitet, vel prorsus infitietur. Fieri enim potest, vt is, posito patris, aui materni cognomen sumere, vel propter adoptionem, aliamue caussam, alterum vsurpare iussus sit. Ceterum sicui VESTRVM ex me, quinam hic *Popidius Ampliatus* fuerit? quaerere lubeat: ego nihil sane ad id respondere possim, nisi quod ex hoc eius donario appareat, ipsum ciuem Pompeianum fuisse satis beatum, pium erga Deos, et patriae amantem. Quibus dictis, versum alterum explicare pergamus.

AEDEM. ISIDIS. TERRAEMOTV. CONLAPSAM

Scriptores Latini quid *aedem* appellent, tralaticium est. Nihil igitur super hoc vocabulo dicendum. De *Dea*, cui dedicata fuerat *aedes*, et quam VOBIS scio non prorsus incognitam esse, breuiter strictimque disserere, et quid in ipsius fabula verum mihi videatur, exponere placet. Nam siquis VESTRVM, I. O. omnia et singula, quae fabularum auctores de ea, vel commenti sunt, vel aliqua veri specie narrant, hac opportunitate sciscitari aueat: eum Lilii Gregorii Gyraldi, Natalis Comitis, aliorum

*) Sueton. Tit. c. 1.

**) p. 87. seqq. Qui liber, Italice scriptus, Romae 1770. in lucem exiit.

rum libros mythologicos, in primis vero Paulli Ernesti Iablonsky Pantheon Aegyptiacum adire et versare moneam, vt ex his suam discendi cupiditatem expleat. Cur enim iusto copiosior sim in explicandis eis, quae rei arcem nihil attingunt? et cur ea, quibus non est opus, ex aliis transscribam? Satius est, si quid video, pauca duntaxat ex fabulis multis, et obscuris, et inter se repugnantibus, heic proferre, eoque facto, quoniam in quauis fabula veri quicquam inest, de rei veritate coniecturam aliquam meam VOBISCUM communicare.

Ac primum quidem omnium satis constat, Isim ab Aegyptiis pro Dea haberi coeptam, summaque pedetentim religione, vel superstitione potius, cultam esse. Eam Acesodorus Neptuni et Callirhoes, Cecrops Argi et Ismenes, alii Mercurii, Prometheiue filiam fuisse tradunt. Alii contra aliam negant esse, quam quae vulgo Io, Inachi filia, dicatur: et quae, siue a Ioue, siue a Iunone, in vaccam candidam mutata, variis Europae Asiaeque prouinciis peragratis, *mare Ionium* transnarit; tandem vero in Aegyptum delata, priorem hominis formam recuperarit, eoque facto, regni incolas artes optimas docendo, variisque beneficiis afficiendo, ad singularem erga se reuerentiam et pietatem adduxerit. Sed quae de Isidis in vaccam mutatione, peregrinatione, aliis, traduntur, merae sunt, quod nostis, fabulae: in quibus quid veri insit, quantum fieri potest, anquiramus. *Herodotus* eam a Phoenicibus, seu vi raptam, seu, metu patris, sua sponte abeuntem, in Aegyptum scribit deuectam. Vnde sunt viri docti, qui fabulam de Iside, in vaccam mutata, et mare Ionium transmittente, natam contendant e signo bouillo, in nauis, qua vecta sit, prora depicto. Cui sententiae, quod rationibus repugnat

Chro-



Chronologicis, adſtipulari nec ipſe poſſum, nec vos iubeo. Nimirum *Iſis* creditur *Oſiridis* vxor fuiſſe: qui haud dubie eſt is, quem Sanchoniathon *Moſor*, Chronicon Aegyptiacum *Banſar*, *Maſur*, et *Miſr*, Eupolemus atque Syncellus *Meſraim*, Moſes denique *Mizraim* *) appellat. Fuit igitur *Chami* (qui mihi certe non alius, atque *Chronus* eſſe videtur) filius, neposque Noachi, quem Manethon *Agathodaemona*, Sanchoniathon *Vranon*, *Epigeon*, *Autochthona* vocitat. Hic *Oſiris* viceſimo quarto tam aetatis ſuae, quam diluuii finiti, anno in Aegyptum veniſſe, ac, regno per triginta annos adminiſtrato, a *Typhone*, fratre, interfectus traditur, quinque annos ante, quam Chamus, pater, vita exceſſerit. *Iſidem* poſthac, marito paucos annos ſuperſtitem, filio, ciuitatem gubernanti, conſilia ferunt ſuppeditaſſe ſaluberrima, eoque meruiſſe, vt filius, pietate inſignis, ipſam demortuam diuinis proſequi honoribus populares ſuos iuſſerit. Ex quo quum *Iſidem* primo poſt diluuium ſaeculo vixiſſe, et bene egregieque factorum laude floruiſſe videatis; neque probabile ſit, tam exiguo tempore fieri potuiſſe, vt aut Phoenices, nauigationis tam ſubito peritiſſimi, quaeſtus cauſſa, Graeciam adirent, aut Graecia iam tum cultores adeo numeroſos et locupletes habuerit, vt mercibus aliunde aduectis indigerent: coniectura admodum veriſimili hinc effici poteſt, eam neque a Graecis parentibus eſſe oriundam, neque in Aegyptum a Phoenicibus delatam; adeoque rem aliam hiſce fabulis inuolutam latere. Quod ego verum in eis eſſe ſubodoror, id huc fere redit. Nimirum *Iſis* haud dubie femina fuit longe prudentiſſima

*) Ex hoc ipſa Aegyptus appellata eſt *Mizraim* in lingua Hebraica.

tiſſima atque ingenioſiſſima, *Semi* vel *Iapheti* poſteris prognata: quam, vi raptam, in matrimonium duxit *Oſiris*, ſiue *Mizraim*, nouus Aegypti rex a patre renuntiatus. Haec aetati *Oſiridis*, exeunte anno eo, quo ex arca prodierant, nati, vt probabile eſt, ſuppar, arcae ſeu nauis, qua Noachus vna cum ſtirpe ſua conſeruatus fuerat, fabricam et rudera ſine dubio ſaepiſſime conſpexit; ex eiſque, per ſingularem, qua erat, ingenii ſolertiam, tum occaſionem cepit, tum rationem didicit cymbae vel nauiculae conficiundae, adeoque nauigationis exercendae. Quo in negotio exſequendo fieri poteſt, vt; praeter ceteram materiem, bouis corium (quod populos barbaros hodieque facere conſtat) adhibuerit, et in lembunculo, ex huiuſmodi pelle confecto, ſedens et quaſi latens, rei experiundae cauſſa, modo Nilum tranſmiſerit, modo littora legerit, eoque facto ciues ad ſe imitandam adduxerit. Cuius facinoris memoriam quum conſeruare et propagare vellent Aegyptii, eoque conſilio litteras, quas vulgo dicunt hieroglyphicas, adhiberent, hoc eſt, Iſim pingerent, quae in eiuſmodi cymba, e corio bouillo facta, latens, deueheretur in Aegyptum; et in terram inde egreſſa, humanam denuo aſſumeret formam: poetae peregrini tabulam pictam, viſam quidem illam, ſed non recte intellectam, ex ingenio ſuo interpretati ſunt, nec pauca, vt placeret, quam feciſſent fabulam, addiderunt. Atque hic mihi verus fabulae fons, vera origo eſſe videtur. Phoenices autem, a Chami poſteris itidem oriundi, quum nauigandi artem magis magisque excoluisſent, induſtriaque ſua effeciſſent, vt nauigationis auctores crederentur: Iſidis inuectionem in Aegyptum ad ſe traxerunt, et rem ita eſſe, aliis, rerum quondam geſtarum ignaris, facile perſuaſerunt.



Sed haec, quae dixi, vtcunque a VOBIS, I. O. aliisque animaduersa erunt, aut existimata, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad ea mihi potius pro se *quisque Vestrum* acriter intendat animum, quae Isidis prudentia fuerit, quae studia et instituta, per quas res gestas, quibusque artibus factum sit, vt eximio prae Diis ceteris honore cultuque Aegyptiis digna videretur. Ac primum quidem leges eam ferunt longe saluberrimas condidisse et in Aegypto sanxisse; tam religiose a posteris seruatas, vt eas ne minimum quidem migrare auderent, si audiatis Platonem *), testem grauissimum. Quas si reuera scripsit sanxitque, id verisimile est eo tempore euenisse, quo filium, *Orum*, consiliis quam optimis adiuuisse dicitur, vt auctoritatem et regnum suum prorsus confirmaret. Tum hunc ipsum filium, quem Graeci Apollinem dixere, artem salutarem docuisse, quin hanc, humano generi vt prodesset, ipsa exercuisse putatur **). Vnde fit, vt homines tam aegrotos, quam alios, malo quocunque vexatos, horumue necessarios, Isidis opem et implorasse, et praedicasse adeptam, in tot monimentis videamus. Prius apparet ex Tibullo ***):

Nunc, Dea, (sc. Isis) nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

item

*) de Legg. l. II. p. m. 657.

**) Diodor. Sic. l. I. p. m. 15. Φασὶ δ' Αἰγύπτιοι τὴν Ισιν Φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγείαν εὑρέτιν γεγονέναι, καὶ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης μεγάλην ἔχειν ἐμπειρίαν, καὶ τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι. διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας, ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρειν, καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα, κ. τ. λ. Plura tum addit auctor, quae ad hunc locum pertinent.

***) l. I. eleg. 3. v. 27. s.



item ex Iuuenali *)

Et quam votiua teſtantur fana tabella
Plurima, pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

qui tamen hominis potius naufragium paſſi, aere dato qui pingitur, quam aegroti vota ſpectare videtur. Poſterius teſtantur marmora non pauca in Gruterianis **), e quibus duorum ſaltem verba transſcribere placet. Alterius quidem ***) haec ſunt:

ISIDI. SERAPIDI. LIBER
LIBERAE. VOTO
SVSCEPTO. PRO. SALVTE
SCAPVLAE. FILI. SVI
P. QVINCTIVS. PARIS
S. L. M

alterius †) autem inſcriptio, eademque Graeca, haec eſt:

ΕΙϹΙΔΙ ΦΑΡΙΑ..
ΕΙϹΙΝ ΤΗΝ
ΕΝ ΜΕΝΟΥΘΙ
ΥΠΕΡ ϹωΤΗΡΙΑϹ
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜωΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ
ΑΝΤωΝΕΙΝΟΥ
. . . . . .
. . . . . .

Quae quamquam nec integra eſt, deſunt enim duo, minimum, verſus, et valde corrupta, ſiquidem ſecundi verſus verba (quae prorſus deprauata, per leges grammaticas ſtare nequeunt, nec ſanari e Pighii ſchedis, in quibus ΕΙϹΙΗ pro ΕΙϹΙΝ eſt) ſenſum probabilem haud ſuppeditant: tamen hoc ex illis poteſt intelligi, tituli auctorem, poſito hoc lapide, exſoluiſſe votum, pro Antonini, imperatoris, neſcio cuius, ſalute nuncupatum; eoque

 ipſo

*) Sat. XII. v. 27. ſq.
**) p. LXXXII. ſqq.
***) p. LXXIIII. n. 8.
†) p. LXXXV. n. 1.



ipſo meam ſententiam confirmari. Marmora plura, veluti huius rei teſtes, ſi requiritis, non pauca in Reineſii Syntagmate inſcriptionum, in Marmoribus Taurinenſibus, aliis, exſtant. Deinde Nili incrementum, ſingulis annis, ſiſtro indicaſſe, et quid hanc ob cauſſam opus facto ſit, monuiſſe traditur: cuius rei ſcientia delectati, et commodis locupletati, temere crediderunt poſteri, eam ipſam et Nili aquas adaugere, et, quoſcunque vellet, ventos excire poſſe. Et quoniam, praeter haec, diuerſos Nili ſtagnantis auctus e Luna, perpetuaque huius viciſſitudine pendere credebant: facile ſibi a callidis verſutisque ſacerdotibus perſuaderi paſſi ſunt, eam ipſam eſſe Lunam, harum rerum effectricem. Vnde etiam cornua, qualia lunae creſcentis ſunt, in fronte gerens, fingi pingique ſolita eſt: etiamſi alii, vt Caylus, e comitibus Franco-gallis, huius rei cauſſam aliunde repetendam cenſeant. Denique agri colendi, lini ſerendi texendique rationem, praeter nauigationis rudimenta, populares ſuos edocuiſſe fertur. Quae beneficia, quae artificia ipſi tribui ſolita, fecerunt, vt Apuleius *) eam fingeret dicentem, appellari ſeſe ab aliis Cybelen, aliis Mineruam, Venerem, Dianam, item Proſerpinam, Cererem, Iunonem, Bellonam, Hecaten et Rhamnuſiam. Quin ea, vt breui praecidam, *Myrionyma* i. e. decies mille nominum Dea, vſurpata eſt: id quod, in aliis, apparet ex lapide Gruteriano **): in quo ISIDI. MYRIONYMAE. SACRVM. cet. legitur. Cuius appellationis cauſſa haec eſt, quod, quae opera et negotia Graeci a Deabus ſingulis, ea omnia Aegyptii ab Iſide ſola, peragi et procurari rebantur. Vnde illorum

*) Metamorphoſ. l. XI. p. m. 259.

**) p. LXXXIII. n. II.

lorum ſcriptores cuncta Dearum ſingularum nomina huic ſoli tribuere non dubitarunt. Populus igitur Aegyptiacus tot et tantis, quot et quantis diximus, ab Iſide, eaque ſola, beneficiis affectus, et auctus, eam et viuam, et mortuam potiſſimum, ſingulari honore ac reuerentia proſequi coepit. Quem eius cultum quoniam filius non ſolum ratum habuit, ſed etiam imperauit exegitque magnopere: is, veluti fluuius, quo longius ab ipſius originibus diſceſſum eſt, eo maiora cepit incrementa. Quo factum, vt multo plura per vniuerſam Aegyptum haberet templa, et maiori religione coleretur Iſis, quam Oſiris. Quid? quod ſingularia beneficia ſua ipſa maiorem in modum iactitare videtur in columna, Nyſae prope ipſius ſepulcrum collocata, teſte Diodoro Siculo *), his quidem verbis: *Εγὼ Ισις εἰμὶ, ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ερμȣ͂, καὶ ὅσα ἐγὼ ἐνομοθέτησα, ȣ̓δεὶς δύναται λύσαι. Εγώ εἰμι ἡ τȣ͂ νεωτάτȣ Κρόνȣ θεȣ͂ θυγάτηρ πρεσβυτάτη. Εγώ εἰμι γυνὴ καὶ ἀδελφὴ Οσίριδος βασιλέως. Εγώ εἰμι ἡ πρώτη καρπὸν ἀνθρώποις εὑρȣ͂σα. Εγώ εἰμι μήτηρ Ωρȣ τȣ͂ βασιλέως. Εγώ εἰμι ἐν τῷ ἄςρῳ τῷ κυνὶ ἐπιτέλλȣσα* **). *Εμοὶ Bȣβαςὸς ἡ πόλις ᾠκοδομήθη. χαῖρε, χαῖρε, Αιγυπτε, ἡ θρέψασά με.* Quibus fere ſimilia ſunt, quae Plutarchus in libro de Iſide et Oſiride memorat, templi Iſiaci pauimento eſſe inſcripta: *Εγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον ȣ̓δεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψε.* Haec verba obuerſata videntur animo eius, qui in Campano aliquo lapide ***) haec incidi iuſſit:

*) l. I. p. m. 16.
**) forte rectius *ἀνατέλλουσα.*
***) in Gruterianis p. LXXXII. n. 2.



TE . TIBI
VNA . QVAE
ES . OMNIA
DEA . ISIS
ARRIVS . BAL
BINVS . V. C

Cuiusmodi verba magnifica etsi Isis de semetipsa non dixerit, scripta tamen in quocunque ipsius fano, alioue monimento, non poterant lectores pios, vel potius superstitiosos, non adducere, vt eam reapse Dearum, quotquot essent, omnium optimam, maximam esse, sibi persuaderent, eoque nomine venerarentur. Quod reuera accidisse, complura antiquitatis monimenta plane demonstrant. Quid? quod auctores prisci, siquo loco Aegyptiorum sacra publica attingunt, omnia *Isiorum* nomine comprehendunt, haud secus, ac si tota Aegyptiorum religio vno Isidis numine ac nomine contineretur *).

Quae *Isidis* sacra, pedetentim propagata, alios quoque populos, vt, Etruscos, Graecos, mirifice delectarunt, itaque ceperunt, vt pietate et reuerentia aduersus Isidem, si non superarent, certe quidem aequarent Aegyptios. Id qua vel aetate, vel via, factum sit, heic anquirere, et vos docere, non attinet: neque tamen isthoc verisimile est accidisse, antequam commercium inter eos, quos diximus, populos et Aegyptios stabilitum esset. Interim, quod non de tempore, id de re ipsa certum constat. Isiaci cultus, a Graecis accepti, vestigia non pauca vidistis iam, in ipsorum scriptoribus: plura si requiratis, auctor VOBIS suasorque sim, vt adeatis Iablonsky Pantheon Aegyptiacum **), VESTRVM que sciendi desiderium leniatis

*) v. Iablonsky l. c. P. II. §. 1. p. 3.

**) P. II. p. 25. s.



niatis. Quo pertinent etiam, quae Appianus de Iſidis templo apud Rhodios *) commemorat, et quae Chii numo aliquo ſuo teſtantur **). Etruſcos, et alios Italiae, inferioris potiſſimum, incolas, eiuſdem Deae cultui, ad inſaniam fere, deditos fuiſſe, teſtatur non ſolum monimentum vetuſtum, lingua Pelasga ſcriptum, quod erudite interpretatus eſt Scipio Maffeus ***), ſed etiam haec ipſa, de qua diſputamus, Pompeianorum aedes Iſiaca, et complura Iſidis ſigna, vaſa ſacra, et tabulae, quae in ſplendidiſſimo Pictarum tabularum Herculanenſium opere †) reperiuntur. Tandem Iſidis cultus et ſacra ad Romanos etiam peruenerunt, ita tamen, vt vel nunquam, vel admodum ſero, Senatus R. auctoritate comprobata videantur. Ea, Ciceronis certe aetate, Romae nondum publice accepta et ſtabilita fuiſſe, efficitur ex loco eo ††), quo Cottam e Balbo quaerentem inducit: „Si Dii „ſunt illi, quos colimus et accepimus: cur non „eodem in genere Serapim Iſimque numeremus?„ Etſi enim iam antea Romam fuerint delata, ibique ſine dubio clanculum peracta ſacra Iſiaca: tamen ea Senatus R. adeo non rata habuerat, vt potius SCtis compluribus fieri vetuiſſet. Quorum vnum factum accepimus L. Aemilio Paullo Cos. qui, quoniam opifices Iſidis Serapidiſque fana attingere religioni ſibi ducebant, poſita praetexta, arreptaque ſecuri, ipſe ea diruere coepit †††). Quae ſa-

*) v. Begeri theſaur. Brand. T. I. p. 416.

**) Beger. l. c. Tom. III. p. 46. ſ.

***) in Originibus Etruſcis et Latinis, p. 68. ſ. verſ. lat.

†) Tom. I. tab. 50. T. II. tab. 59. et 60, item minores picturae p. 69. et 226; 99. et 253. Tom. III. p. 150. et 180. T. IIII. tab. 69. et 70. it. p. 166. alibi.

††) de Nat. Deor. l. III. c. 19.

†††) Val. Max. l. I. c. 3.



cra quum, breui post, denuo, senatus iniussu, introducerent vel homines superstitiosi, vel sacerdotes versuti, Dei vtriusque aras penitus euerterunt Piso et Gabinius Coss. A. V. C. DCLXXXXV, testibus Dione Cassio *), Tertulliano **), et Augustino ***). Deinde, Octauiano Augusto imperante, A. V. C. DCCXI decreuere quidem Coss. Serapidi Isidique templum ****): sed ipsa sacra Aegyptiaca, quae rursus in vrbem sese insinuabant, ab Agrippa, vrbi praefecto, Roma quasi demigrare iussa sunt, M. Lollio et Q. Aemilio Lepido Coss. A. V. C. DCCXXXIII †). Isidis templum, Romae tandem aedificatum, Tiberius, imperator, propter infandum, nescio quod, facinus, tertium euerti, et simulacra in Tiberim proiici et demergi iussit ††). At vero quamuis multa fuissent cultus Isiaci, Romae stabiliendi, impedimenta: tamen, his superatis, accepta demum sunt †††), et Dea tanta superstitione culta, quanta numen aliud nullum. Hinc queritur Lucanus ††††):

Nos in templa tuam Romana accepimus Isim,
Semideosque canes, et sistra iubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim,
Tu nostros, Aegypte, tenes in puluere manes.

Igitur quandoque v o s, I. O. Tibulli †††††) vel Pro-

*) l. xxxx. p. m. 142. et 196.

**) Apologet. c. 6.

***) de Ciuit. Dei, l. xviii. c. 5.

****) Dio Cass. l. xxxxvii. p. m. 336.

†) id. l. liiii. p. m. 526.

††) Ioseph. Antiq. Iud. l. xviii. c. 3.

†††) Antoninus Caracalla, imp. incredibili studio tandem effecisse dicitur, vt sacra Isiaca Romae publice peragerentur. Spartian. in Anton. Carac. c. 9. p. m. 158.

††††) l. VII. v. 747. sqq.

†††††) l. I. Eleg. 3. al.

Propertii *) vel Nasonis carmina, vel scriptorum aliorum, Augusto et Tiberio priorum, libros legentes, eos ad Isidis sacra respicere, horumque ritus sollennes attingere cernetis: nolite, quaesumus, ex eorum dictis argumenta petere, quibus meam sententiam refellatis. Nam quae auctoritate publica nego sancita fuisse, eis homines priuatos clam vacasse haud negauerim: siquidem vosmet ipsi non ignoratis, multos priuatim facere multa, quae auctoritate publica non permissa, nedum iussa, constat. Eam vero his sacris diu defuisse, testatur ipse Propertius **) hisce versibus:

An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
 Iupiter, idcirco facta superba Dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
 Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quid tibi, quid prodest, viduas dormire puellas?
 Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.
Aut nos e nostra te, saeua, fugabimus vrbe:
 Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuat.

Sed hunc locum in praesenti non amplius persequi, ideoque hoc vnum, *ὡς ἐν παρόδῳ*, adhuc memorare placet, Cornelium Tacitum ***) de Sueuis scripsisse, eorum partem, sua aetate, Isidi sacrificare, Deaeque signum, in modum liburnae figuratum, demonstrare, aduectam religionem. Hac Isidis formandae ratione Sueui, quos dicit Tacitus, haud dubie respexerunt ad nauigandi artem, ab ipsa inuentam: vti Lucianus etiam, in dialogo, quem *Διὸς καὶ Ἑρμοῦ* inscripsit, eam vniuersae rei nauticae praefectam esse commentus est. Iupiter enim Mercurio haec praecipit: Τὴν Ἰὼ — — *εἰς τὴν Αἴγυπτον ἀπαγαγὼν, Ἶσιν ποίησον. καὶ τὸ λοιπὸν*

*) l. II. el. 33. al.

**) Eleg. 33. v. 13. sqq.

***) lib. de Situ, moribus, et populis Germaniae c. 9.



πὸν ἔξω θεὸς τοῖς ἐκεῖ, καὶ τὸν Νεῖλον ἀναγέτω, καὶ τὰς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω, καὶ σωζέτω τὰς πλέοντας. Copioſius non ſolum, ſed etiam longe accuratius atque eruditius de hoc Iſidis apud Sueuos cultu diſputarunt duo viri illuſtres, et omni laude noſtra maiores, alter Lipſicae, Vitembergenſis alter, Academiae decus et ornamentum: nimirum IO. GOTTLOB BOEHME ὁ πάνυ *), cuius in me humanitatem et beniuolentiam ſatis praedicare nequeo, et DAN. GVILIELM. TRILLERVS, annis non magis, quam meritis venerabilis ſenex, et vti ſalutaris, ita omnium liberalium artium ſcientia excellentiſſimus **): quorum libellos, exquiſita et ſingulari doctrina refertos, adire, et, quae hic attingimus ſaltem, ex iis plane diſcere, VOBIS, I. O. etiam atque etiam ſuadeo. Ceterum quum Iſidis ſacra tam longe lateque propagata ſint, quid mirum, ſi ea ad Pompeianos etiam perueniſſe, Deamque Aegyptiam ipſorum in oppido fanum habuiſſe cernimus?

Eam Iſidis aedem TERRAEMOTV. CONLAPSAM eſſe, e reliquis verſus ſecundi verbis apparet. Id Nerone imperante, P. Mario Celſo, L. Aſinio Gallo Coſſ. h. e. A. V. C. DCCCXV. accidit: quod in altero libello meo, plane demonſtratum arbitror. Quem diuulgatum ſi verſare et lectitare operae pretium duxeritis, viam, opinor, et rationem perquam facilem Dionis Caſſii, Taciti et Senecae verba, (quae quidam inter ſeſe pugnare rati, temere

*) Duabus de Iſide Sueuis olim culta diſſertationibus, quarum altera A. O. R. CIƆIƆCCXXXXVIII, altera anno poſt, Lipſiae promulgata eſt. de Iſide, dea etiam ſalutari, et medicis ſacra, olim apud Sueuos religioſe culta: quae Opuſculor. medic. et medico-philologicorum vol. II. p. 341. ſſ. reperitur.

**) Exercitat. ſubitanea

re emendare adgressi sunt) comparandi recteque interpretandi, in eo propositam reperietis. Quae ibi dicta sunt, huc transscribere non opus est, ne quis me mea ipsius scrinia compilare clamitet. Id vnum hic memorabo, ea tempestate *Pompeios* non totos, sed magna ex parte, conlapsos esse. Ex quo sequitur, vt reliqua perstiterit, aedificiis quidem plus, minus, clade affectis, nonnullis forsitan prorsus inuiolatis. In aedium tum prolapsarum numero, *Isiacam* fuisse, neque ego affirmare possim, nec quisquam alius, nisi mercenarii, oppida tam diu occultata perscrutari iussi, ipsius rudera, et, quod maius est, hanc ipsam inscriptionem effodissent: cuius insignis et elegantia et vtilitas, me maxime ad eam promulgandam et interpretandam adduxit.

De vocabulo TERRAEMOTV nihil habeo, quod moneam, nisi hoc vnum, fuisse in Italia non neminem, cui id prorsus singulare, nec titulo simili satis accommodatum, visum sit. At vero *Isidorus Blancus* *) duas ex Muratorianis lapidibus inscriptiones, Latinam alteram, alteram Graecam, protulit, in quibus hoc ipsum vocabulum adhibitum est. Vnde haud scio, an id cuiquam posthac scrupulum iniicere debeat.

Inscriptionis nostrae versu tertio legitis haec:

A . FVNDAMENTO . P . S . RESTITVIT

cuius in verbis non nisi siglas P. S. aliquantum lucis desiderare opinor. Eae quam saepissime in lapidum vetustorum titulis vsurpantur, et, quod sensum postulare videtis, PECVNIA . SVA . significant. Itaque in saxis non paucis plane legitur: vt

*) *In Lezione sopra questa antica lapida*, p. 27. Tom. XV. nouae Collectionis opusculorum scientificorum et philologicorum, Venetiis promulgari solitis.

vt Gruterianis *), SVA . PECVNIA . REFECERVNT; item **), ARAM . SVA . PECVNIA . POSVIT. Quae duo exempla, pluribus non eſt opus, vos docere poſſunt, quo pacto ſiglas, P. S. F. vel P. S. P. item P. S. F. C. vel denique D. S. P. F. C. in plerisque marmoribus interpretari debeatis. Namque haec omnia, ſiquando huius generis monimenta, ſcientiae *Veſtrae* augendae cauſſa, recte et, quo decet, ordine tractare adgrediamini, animis inculcata et quaſi infixa teneatis, neceſſe eſt, vt verum cuiusque ſenſum peruidere ipſi, aliosque docere poſſitis. Ceterum hoc vnum hic adiiciam, ſiglas P. S. vel S. P. explicari etiam poſſe PROPRIO . SVMTV, vel SVMTV. PROPRIO. Quam interpretationem tueri licet hoc lapide Muratoriano:

MACELLVM . TERRAEMOTIBVS
LAPSVM . . . . CASTRITIVS
VIR . PRIMARIVS
SVMPTV . PROPRIO
FIERI . CVRAVIT . CVM
SILVERIO . FILIO
ACCEPTIS . COLVMNIS . ET . TEGVLIS
A . REPVBLICA

Hic titulus, praeterquam id, quod modo dictum eſt, patri non raro aliud, aliud filio cognomentum fuiſſe, demonſtrat: illum enim in hoc monimento *Caſtritium*, hunc *Siluerium* vſurpari videtis. Quibus dictis, non dubito, quin plenum verſus tertii ſenſum pernoſcatis. Igitur ad quartum et reliquos pergamus.

HVNC . DECVRIONES . OB . LIBERALITATEM
CVM . ESSET . ANNORVM . SEXS
ORDINI . SVO . GRATIS . ADLEGERVNT

Qui

*) p. CVIIII. n. 8.   **) p. CVIII. n. 4. et 6.

Qui per primum vocabulum HVNC, significetur, per se manifestum est. De altero, DECVRIONES, copiosius disserendum puto, propterea quod hac opportunitate video explicari posse nonnulla, quae ad ipsum ius Rom. recte intelligendum pertinent, adeoque VOBIS, id iam addiscentibus, vtilitatem afferre possunt. Ac primum quidem omnium meminisse debetis, I. O. *Decurionum* vocabulo, a priscis auctoribus, aliisque in monimentis adhibito, non semper vnum idemque hominum genus indicari. Haudquaquam. Est id e nominum πολυσήμων numero, eoque, quem orationis contextus postulat, sensu accipiendum. Dicebantur enim *Decuriones* non solum ii, qui in exercitu R. equitum turmae praeessent *), sed etiam qui cuiuscunque corporis vel societatis hominum parti essent praefecti: siquidem vno in corpore vt plures fuere partes, ita plures numerati *Decuriones.* Quo ex genere fuit *Saturius* ille, quem Suetonius **) *cubiculariorum decurionem* dixit ***). Eiusmodi multo plures in lapidibus vetustis memorantur: vt, in Gruterianis ****) *decuriones fabrorum;* in Reinesianis †) *decuriones collegii naupegiar.;* in Taurinensibus ††) *decurio Augustalium;* in Sponianis †††) *decurio ostiariorum*, cet. Huius generis *decuriones*, Reinesio, quem dixi, et Christ. Gottlieb Schwarzio ††††) auctoribus, quoniam eiusmodi collegia *Zuinfte* vel *Innungen* vocamus, vernacula nostra

*) Veget. l. II. c. 14.

**) Domit. c. 17.

***) Alius *decurio cubiculariorum* memoratur in Donianis inscriptionibus cl. VII. n. 2.

****) p. CCCLXXII. n. I. et DCXXXII. n. 1.

†) cl. I. p. 261.

††) Part. II. p. 136. n. CLXXIII.

†††) Miscell. Antiqu. Erud. p. 214.

††††) Miscellaneis polit. humanitatis. p. 56.



nostra die *Ober-* vel *Viermeister*, *Geschworne* dicere possimus. Plura tamen nec de his, nec de aliis, differere placet, propterea quod huiusmodi excursus nec necessarius esse videtur, et iusto copiosior futurus. Igitur non nisi de illis *Decurionibus*, qui hoc loco intelligendi sunt, quaerere adgrediamur. Nimirum aliud ea aetate *Decurionum* genus fuit, h. e. hominum, qui per prouincias Rom. tam in municipiis, quam in coloniis, saluti publicae consulerent, adeoque *Senatores municipales* aut *colonici* essent: quales fuere, quos a Suetonio *), Iulio Caesare **), Cicerone ***), quin in hoc ipso monimento publico memoratos videtis. De quibus etsi copiose differuit Carolus Sigonius †) Schwarzius ††) Euerardus Otto †††) alii: quorum libros adire et versare VOBIS quam maxime suadeo: tamen hunc ipsum locum, hac opportunitate, itidem attingam, et vnamquamque rem tantummodo perstringam.

De nominis ratione et caussa, sine dubio, ante omnia quaeretis. Neque inconsiderate. Nostis enim ex institutione nostra, cognitam vocabulorum originem et caussam, interdum ad declarandam eorum notionem, vim aliquam habere. Verum VOBIS itidem cognitum est et exploratum, valde lubricam esse et fallacem hanc explorandarum notionum viam, quae verborum origines sequatur; saepissime etiam plane nihil ad peruidendam ipsorum vim valere: meque propterea eiusmodi quaestionibus, ne dicam, minutiis etymologicis, in instituendo, parum temporis impendere sole-

*) Aug. c. 100. et 46.

**) Bel. Ciu. l. I. c. 13. 23.

***) pro Rosc. Amer. c. 9. 39; ad Diu. l. VI. ep. 18. alibi. conf. Ernesti τȣ πάνυ Clau. Cic.

†) de Ant. Iure Pop. R. p. m. 666. et 699.

††) l. c. p. 20.

†††) de Aedilibus Coloniarum et Municipiorum c. V. p. 126. ff.

ſolere. Exemplo hoc ipſum *decurionis* verbum eſſe poteſt. Quod etſi a *decem*, vel *decuria* deriuatum eſſe, adeoque aliquam ad numerum denarium rationem habuiſſe, ambitioſe doceam: id tamen tantum abeſt, vt VOBIS, rem ipſam indagantibus, ſatisfacere, certamque et plenam illius notionem ſuggerere queat, vt potius hanc non minus, quam antea, ignorare, adeoque etiam vocabuli notatione ſuperſedere poſſe videamini. Quin vos nihil prorſus ſcio ad libellum qualemcunque meum intelligendum deſideraturos eſſe, hoc animis penitus infixo, municipiorum vel coloniarum Senatores plerumque latine vſurpari *decuriones*. Qui quoniam aeque, ac ſenatores Romae, in *curia* conuenire, ac de ciuitatis ſuae rebus conſultare ſolebant: quod, praeter alios, docet Plinius *), atque Auſonius **): ex curia, etiam *curiales* dici coepti ſunt. Cuius rei teſtis eſt Iſidorus, qui ***) decuriones, inquit, dicti, quod ſint de ordine curiae. Officium enim curiae adminiſtrant. Vnde non eſt decurio, qui ſummam non intulit, vel curiam non participauit. *Curiales* autem iidem et *decuriones*. Et dicti Curiales, quia ciuilia munera procurant, et exſequuntur. Itaque eos nullibi fere non in Codice Theodoſiano vocatos reperietis. Tandem quoniam ipſos, conſilii publici cauſſa creatos, in publicum conſulere decuit: e graeco *βȣλεύεσθαι*, in oppidis certe Graecae originis, nominati ſunt *βȣλευταὶ*, et latine *buleutae*. Quod ipſorum nomen

*) l. I. ep. 8. qui, ſermonem, inquit, non apud populum, ſed apud *decuriones* habui; nec in propatulo, ſed in *curia*.

**) in Moſella, p. 401. ſ.

— — quos *curia* ſummos
Municipum vidit proceres,
propriumque ſenatum.

***) Origg. l. VIIII. p. m. 101.



men vſurpauit et Plinius *) et Spartianus **): qui Septimium Seuerum, imperatorem, Alexandrinis *ius buleutarum* dediſſe memorat, quum antea, vti ſub regibus, ita ſub praeſide prouinciae, ſine publico conſilio, et vni ſaltem iudici, ab imperatore mitti ſolito, obnoxii vixiſſent. Ex quo intelligitis, τὸ βȣλευτὴς, in priſcis libris, ſiue ſacris, ſiue profanis obuium, nonnunquam recte et latine verti poſſe *decurio:* idque ipſo Traiano auctore, qui, quos Plinius dixerat *buleutas*, ipſi reſcribens *decuriones* vocare haud dubitauit ***). Igitur perinde fore cernitis, vtrum eiuſmodi minorum oppidorum ſenatores, in hac commentatione, *decuriones*, an *curiales* ſeu *buleutas* appellem: etiamſi primum eorum nomen frequentius adhibere placeat.

Sed quoniam *decuriones* dixi vel *municipiorum*, vel *coloniarum*, per imperii R. prouincias, *ſenatores* fuiſſe: non male me facturum opinor, ſi ab indaganda vtriuſque generis ratione et forma exorſus, ad ea progrediar, quae de huiuſmodi ciuitatum ſenatoribus dicenda videntur. Equidem hunc locum non ignoro et difficiliorem eſſe, et a Sigonio copioſius diſputatum ****). Nihilo ſecius tamen ea, quae ſcitu neceſſaria, et maxime ad elegantiorem iuris prudentiam pertinere puto, heic loci breuiter ſtrictimque dicere placet, vt, quo pacto primi cuiuſque ciuitatis *decuriones* creati ſint, deminutus eorum numerus poſthaec expletus, qui eorum cenſus, quae commoda fuerint, quae incommoda, tanquam in tabula videatis.

Et

*) l. X. ep. 48. 113. 115.

**) in Seuer. p. m. 124.

***) Plin. l. c. ep. 114.

****) de Antiquo Iure Pop. R. l. II. c. 2. ſeqq. p. 624. edit. Thomaſ. conf. quae in Marmoribus Taurinens. T. I. p. 143. ſeqq. hac ſuper re diſputantur.

Et primo quidem ſciendum eſt, *municipii* vocabulo non ſemper vnam eandemque vim ſubiectam a ſcriptoribus Rom. vtpote qui tam colonias, quam ciuitates foederatas hoc nomine vſurparunt. Qui propriam et natiuam ſubiiciunt poteſtatem, eo ſignificant oppidum, Italiae potiſſimum, ciuitatis Romanae iure donatum: cuius adeo ciues, *municipes* dicti, homines eſſent iuris ciuium R. participes. Hinc Vlpianum et Paullum, ICtos perquam celebres, videtis *municipes* ſic definire, vt eos alter dicat eſſe, qui in ciuitatem R. accepti, munerum participes fierent; alter, qui iure ciuium R. donati, munera ciuilia caperent. Quae ab vtroque *munera* vocantur, non ſunt niſi officiorum ciuilium iura: et ex huiuſmodi *muneribus capiendis* ipſum *municipum* nomen factum, et quaſi conflatum eſſe apparet. Tum duas municipiorum formas fuiſſe plerique contendunt auctores: aliis datam ſcribunt ciuitatem R. ſine ſuffragio; aliis ita, vt ipſis ſuffragii latio eſſet. Feſtus triplicem eſſe ait *), quam ego duplicem dixi municipiorum formam: cauſſam, qua permotus ita exiſtimarit, nec adferre placet, nec refellere, quoniam haec quaeſtio VOBIS parum prodeſſe videtur. Eoque magis, quod compoſito bello Marſico, vel ſociali. datoque, per legem Iuliam, ſociis Italicis omnibus ciuitatis R. iure vna cum ſuffragandi poteſtate, quod municipiorum diſcrimen antea fuerat, id eſſe prorſus deſiit. Quid? quod vel ipſum municipiorum nomen non potuit non intercidere, ſimulatque imperator Antoninus, cui *Caracallae* cognomentum fuit, edita conſtitutione **), incolas orbis R. omnino omnes in ciuium numero eſſe voluit.

Eiuſ-

*) de verborum ſignificat. p. m. 324.

**) v. Ezech. Spanhemii Orbis Romanus, quo hoc demon-



Eiusmodi *municipii constituendi* viam et rationem si anquiratis, admodum expeditam fuisse reperietis. Nam si cuius oppidi ciues, ob egregium aliquod in rem Rom. meritum, vel pacem nuper initam, aliamue caussam, ciuitate donandos censuerant Patres, seu Senatores R. atque SCtum hac de caussa factum erat: res ad vniuersum ferebatur populum, vt hic, penes quem omne ciuitatis communicandae ius et arbitrium, Senatu vel inuito, esset, Patrum beneficium, plebiscito vel ratum faceret, vel irritum pronuntiaret *). Idem populus, vbi rem non tantum ratam habuerat, sed etiam vna cum ciuitate, municipio cuipiam largienda, suffragii lationem voluerat copulare: vel ipse constituit, qua in tribu suffragia ferrent noui ciues **), vel censoribus permisit, vt eos aut veteri adscriberent tribui, aut nouam, in qua ferre possent, veteribus adderent ***). Cuiuscunque oppidi incolae ciuitatem Rom. siue ita, vt eis esset suffragii latio, seu sine suffragio, hoc modo acceperant, *municipes* vsurpari sunt coepti; fueruntque ciues R. qui in municipiis, quisque suo, legibus suis, suo iure vtebantur, muneris saltem, vti iam dixi, cum ipso Populo R. participes****). Quod Heineccius, contra aliorum sententiam, de militaribus potissimum muneribus intelligendam existimat: quo iure, quaue iniuria, penes alios arbitrium esto.

Cete-

demonstratur p. 195. 203. ed. Londinens. alt. Vnde haec constitutio haudquaquam fuit Antonini Pii, etiamsi hic in numis AMPLIATOR. CIVIVM appellatur. conf. Spanhem. l. c. p. 170. et de Vsu et Praest. Num. antiquorum. Dissert. III. T. I. p. 155.

*) Liu. l. XXXVIII. 36.

**) Liu. l. c.

***) Liu. l. VIII. 17.

****) v. A. Gell. Noct. Att. l. XVI. c. 13. et Vlpian. l. c.

Ceterum ex hac definitione effici poteſt cogique, *municipes* multis iuribus atque priuilegiis, quae alioqui non niſi ciuium R. eſſent, donatos quaſique mactatos fuiſſe. Hinc per iura, cum ipſis communicata, numos lupae, Remum Romulumque lactantis, ſpeciem gerentes, cudere potuerunt. Hanc enim effigiem etſi non niſi Romanorum quaſi ſymbolum eſſe voluerant priſci Romani, ideoque ad Ficum Ruminalem ſimulacra infantium, quos dixi, conditorum Vrbis, ſub vberibus lupae poſuerant Cn. et Q. Ogulnii, aediles curules *): tamen poſthac factum demonſtrat *Valens* **), vt non ſolum in foris oppidorum ditionis Rom. omnium eiuſmodi collocaretur ſignum, ſed etiam in numis tam coloniarum, quam municipiorum exhiberetur. Cuius rei argumento ſit vnus municipii Coellutani numus, quem aeri inciſum idem auctor in libro ſuo ſuppeditauit ***). Tum non niſi legibus inſtitutiſque ſuis, quae hac de cauſſa leges vſurpatae ſunt municipales, viuebant, teſte quidem A. Gellio †), ipſisque leges Romanas vel accipere, vel detrectare, vt libuit, licuit. Id ſi fecerant, *fundi facti eſſe* cenſebantur ††), et ipſorum ciuitas proprie *municipium* dicebatur: ſin hoc, non niſi improprie ſic vſurpata eſt, pro-

 pterea

*) Liv. x. 23.

**) i. e. *Vaillant*, in Numiſmatibus aereis Imperatorum, Auguſtarum et Caeſarum in coloniis, municipiis et vrbibus iure Latio donatis, Part. I. p. m. 221. quo in libro ſimilium numorum complures reperiuntur.

***) l. c. Part. II. p. m. 213.

†) l. cit.

††) Cic. pro Corn. Balb. c. 8. 21. A. Gell. l. c. p. m. 902. conf. Erneſti ὁ πάνυ in Ind. legg. Lex Iulia L. Caeſaris; item Illuſtris Heyne in Commentat. qua inſtituta et leges Heraclienſium, quae Tarentinorum fuit colonia, more ſuo, perſequitur, p. 5. nott. *u. x. y.*



pterea quod ſuis, quam ciuitatis Rom. iure ac legibus vti maluiſſet, rectiuſque ciuitatis foederatae vel ſociae, item Iuris Italici nomen habuit. Quod diſcrimen memoria teneatis, neceſſe eſt, I. O. ſi Voſſium auditis ſuper hac re differentem, et in alia omnia abeuntem. Is multis affirmat vinci poſſe argumentis, *municipes* legibus Rom. vixiſſe, quin viuere oportuiſſe; et Gellium, quum municipes dicat, nullis aliis neceſſitatibus, neque vlla Populi R. lege adſtrictos fuiſſe, aliam negat, praeterquam aetatis ſuae, reſpexiſſe conſuetudinem. Cui prorſus refragari docent alii Heraclienſium atque Neapolitanorum decretum, a Tullio commemoratum *): quin Heineccius *municipes* demonſtrat *αὐτονομίαν*, ſiue ius ſuum et peculiare non amiſiſſe, ſed foedus ſaltem reliquiſſe, vel in foederatis ſociiſue Pop. R. ciuitatibus eſſe deſiiſſe. Qua in lite examinanda dirimendaque haud dubie tutiſſimi ibitis, I. O. ſi, quod dixi, diſcrimen ex memoria Veſtra nunquam elabi fieritis. Praeterea *municipes* ſua habebant ſacra, quibus, vel poſt ciuitatem Rom. cum ipſis communicatam, vacare debuerunt ex pontificum ſententia. Ea, ſacra vſurpata *municipalia*, ne his quidem, qui Romam demigrarant, negligere licuit **).

At enim vero quamquam huiuſcemodi *municipes*, ciues et erant, et dicebantur Romani: tamen *ingenui* non ſunt appellati, nec iure ciuitatis optimo potiti, niſi domicilio Romae conſtituto. De quibus ſolis, reor, *Grauina* diſputat, dum *municipes* ait ***) non ſolum ciuitatem R. et ius Quiritium priuatum, ſed etiam publicum accepiſſe, et Romae magiſtratus, pari cum reliquis ciuibus iure

*) loc. cit. c. 8.
**) Cic. de Legg. l. II. c. 1.
***) de imper. p. 537.

iure ac ſorte geſſiſſe; quin etiam in curias R. relatos eſſe. Hoc vt de Piſanis, in tribum Galeriam adſcitis, demonſtrauit Noriſius, pater curiae Rom. purpuratus, dum in viuis eſſet, eruditiſſimus*): ita de quibuſdam aliis, ſi opus foret, facile comprobari poſſit. Vnde huiuſmodi municipibus patria duplex fuit: altera naturalis, in qua nati erant, altera ciuilis, qua excepti, vitam tranſigere voluere. Vt, Cato ille Cenſorius, cum eſſet Tuſculi natus, in populi R. ciuitatem ſuſceptus eſt**): C. Marius, et M. Tullius Cicero, qui Arpinates cum eſſent, Romam profecti, pleno ciuitatis iure frui, et ſummis honoribus defungi coepere. Quid? quod fieri potuit, vt iuxta Romae, atque in municipio ſuo, honores adipiſceretur eiuſmodi *municeps*. Id quod T. Annii Milonis exemplum comprobat, quem, Lanuuii dictator cum eſſet, Romae conſulatum petiiſſe conſtat***). Quod reliquum eſt, municipes tantum non omnes ciuitatum ſuarum, ſiue carerent ſuffragandi iure, ſeu eo donati eſſent, formam et rationem ita inſtituerunt, vt reip. R. minuta quaſi ſimulacra eſſe viderentur. Nam ſi *ordines* quaeratis; tres in eis, *decuriones*, *equites* et *plebem*, fuiſſe priſca monimenta demonſtrant: ſi *conſilia publica*; ea *Senatum* et *Populum* ſiſtunt: ſi *magiſtratus* atque *ſacerdotes*; ea *dictatorem*, II *viros*, IIII *viros*, *praetores*, *aediles*, *quaeſtores*, quin et *cenſores*, *flamines*, *Auguſtales*, et e pontificum claſſe alios, ibi creari ſolitos, confirmant †). Ac de *municipiorum* quidem ratione, ſatis

*) v. Cenotaph. Piſ. diſſert. I. c. 1. p. m. 23. ſqq.

**) Cic. de Legg. l. II. c. 2.

***) Cic. pro Milon. c. 12. Aſconius Paedianus in Milonianae argumento, p. m. 180.

†) v. Sigon. loc. cit. p. m. 698. Heinecc. l. c. p. m. 389.



tis dixiſſe mihi videor. Sequitur, vt de *coloniis* eodem modo diſſeram.

Colonias R. fuiſſe ciuitates, e republica R. quodammodo propagatas, tralaticium eſt*); vos que in lectionibus Liuianis quam ſaepiſſime audiiſtis, certum hominum numerum, populi R. iuſſu deductum eſſe in oppida, ex hoſtibus capta, ad incolendum, eademque inde *coloniarum* nomen traxiſſe. Quod quibus cauſſis adducti fecerint Romani, et quid in eo ſequuti ſint, ſatis a Sigonio**), Heineccio***), aliis, expoſitum eſt. Eiuſmodi coloniae deducendae conſilium, a Patribus, vel alio magiſtratu R. captum, exſequi non licuit, niſi, re ad vniuerſum populum lata, lex aliqua agraria, eo nomine ſcripta et promulgata, ab hoc perlata eſſet, et plebiſcito confirmata. Qua quidem lege populus quaſi rogatus eſt, quem agrum, quot quibusque hominibus, per quos praefectos, et quo pacto, diuidi iuberet. Ea igitur perlata, et rebus aliis, quas parare neceſſe fuit, paratis conſtitutiſque, coloniae deducendae duces, in comitiis potiſſimum tributis, creati ſunt. Quos plerumque IIIviros fuiſſe traditum eſt †). Sed praeter hos, nonnunquam Vviri, VIIviri, item XV viri, XXviri coloniae deducendae, ab auctoribus priſcis memorantur. Qui ductores, quod ex Ciceronis Agraria altera ††) intelligere poteſtis, decurionibus, auguribus, pontificibus, apparitoribus, ſcribis, librariis, praeconibus, architectis, mulis, tabernaculis, ſupellectile, ianitoribus, ſatellitibus magni-

*) A. Gellius N. A. l. XVI. c. 13.

**) l. c. c. 2. p. m. 625.

***) l. c. c. 5. §. 224.

†) Liu. l. III. 11; VI. 21. VIIII. 28; X. 21. Dionyſ. Hal. Ant. R. l. VIIII. p. m. 615. Appian. Εμφυλ. α. p. m. 167. ſ.

††) Cap. 12. 13. 35.

magnifice exornati, poteſtatem in certos annos accepere, qua nouam coloniam rite ordinarent. Auctoritate igitur omni, qua opus erat, muniti, et hominum, quos diximus, atque amicorum cohorte ſtipati, nouos colonos, in agrum, lege ipſis adſignatum, ſub vexillo, veluti exercitum quendam, eduxere *). Ad locum, ipſis deſtinatum, vbi peruentum erat, coloni tam agrum, quam oppidum, ſeu nouum condere, ſeu conditum occupare **) iuſſi, circumſcripſere aratro, eoque facto vtriuſque terminos deſignarunt. Huic ipſos credibile eſt, taurum cum vacca iunxiſſe; vt Romuli, Romam condentis, exemplum imitari viderentur. Tum colonorum cuique agri tantum eſt adſignatum, quantum in lege, ſuper hoc negotio promulgata, fuerat conſtitutum ***). Quae omnia fieri non poterant, niſi auſpicato, factis ſacrificiis, luſtrataque colonia deducenda: et ſi quod omen minus felix fauſtumque huic negotio interueniſſet, rem coeptam penitus omittere ſatius duxerunt, quam malis ominibus conficere †). Quin quo iam deducta eſſet colonia, eo aliam mitti, nefas viſum Romanis ††).

Quae coloniae deducendae inſtituta adhuc expoſui, ea rep. libera fere obtinuerunt: quo tempore non niſi *togatas* accepimus deductas, h. e. eiuſmodi colonias, quae ciuibus rerum egenis, vel ſociis Latinis efficerentur. Mutari vero res a L. Cornelio Sulla, ac, praeter eas, deduci *milita-*

 res,

*) Cic. Agr. II. c. 32; it. Philipp. II. c. 40. Appian. Εμφυλ. γ΄. p. m. 552. ſ. Plutarch. in Gracch. p. m. 342 *b*.

**) Appian. Εμφυλ. α΄. p. m. 179. Plutarch. l. c.

***) Liu. IIII. 47; XXXVII. 57.

†) Appian. Εμφυλ. α΄. p. m. 179. Plutarch. l. c.

††) Cic. Agrar. II. c. 12. Philipp. II. c. 40.



res, seu *sagatae*: quarum auctorem Iulius Caesar, et imperatores deinceps alii, sequuti sunt. Vtriusque generis rationem et discrepantiam docte indicauit Albertus Dietericus Trekell, ICtus perquam eruditus*), quem veluti ducem sequi, me non pudet. Colonias *togatas* non nisi S. P. Q. R. auctoritate iussuque deductas legimus; *sagatae* s. *militares*, solius imperatoris arbitrio, nulla eas deducendi potestate a S. P. Q. R. accepta. *Togatas* per IIIviros, Vviros, alios, ab ipso populo creatos, quin SCto ac lege curiata ornatos, deduci oportuit; *sagatas* misit non nisi imperator, militibus veteranis gratificaturus, qui praeterea, ad agros diuidendos, quos quotque vellet, administros nominauit. In *ciuilibus* ornamenta et potestas ducum omnis ex SCto, et lege tum perlata, prouenere; in *militaribus* ea omnia ab imperatoris libidine profecta. Hinc *togatae* nomen haud accepere nouum, sed oppidi, quo sunt missae, pristinum vt plurimum seruatum est: *sagatae* contra nouum, ab auctoribus, quaeque suis, traxere nomen, idque tam ab ipsorum gentilicio, vt, colonia Iulia, Flauia, cet. quam cognomento, vt, coloniae Felices, Augustae**). Tum in *togatas* adscribi iussi non nisi inopes plerumque de plebe homines, pagani, alii: in *sagatas* milites duntaxat emeriti, vel veterani, vt operae ducibus nauatae praemio, ornarentur. Denique discrepabant etiam caerimoniis,

*) in Select. Antiquitt. Rom. Part. I. p. 215.

**) Hinc non male profecto Alexius Symmachus Mazocchius in Commentar. ad Campani Amphitheatri titulum, c. 1. in coloniis, ait, eandem fere, atque in liberis, rationem fuisse obseruatam, quoniam Imperator, veluti huiuscemodi coloniae patronus aestimatus fuisset: siquidem *militarium* et caussae, et auctores, et nomina, non potuissent non praefulgere.

niis, in deducendo feruari folitis *). Nimirum omnes fpeciem habuere quidem aliquam exercitus, ideoque fingulas fub vexillo a ductoribus in locum adfignatum deductas accepimus. Sed quemadmodum apud Romanos alia fuit ratio *exercitus vrbani*, qui, fub vexillo, ex vrbe in campum Martium, vel ad comitia, vel ad luftrum deducebatur; alia *classis procinctae*, (fic vfurpatus eft, Fefto auctore **), exercitus vere talis, qui armis et fignis inftructus aduerfus hoftium agmen ducebatur): ita etiam colonia *togata* et *fagata*, fpecie externa, multum difcrepauit, ea quidem *vrbani*, hac *militaris* exercitus formam prae fe ferente. Vnde hoc fere discriminis inter vtramque fuiffe, credibile eft. Quemadmodum *exercitus vrbanus* veftitu, domi, *bellicus* contra, militiae, indui folitó, adeoque ille *togatus*, hic *fagatus* incedebat: ita, qui in *coloniam ciuilem* transfcripti erant, *togati*, qui in *bellicam*, *fagati*, ad oppida et loca, ipfis adfignata, profecti funt. Porro quemadmodum *exercitus vrbanus* armis non erat inftructus, praeterquam pauci illi, qui, praefidii cauffa, in Ianiculo excubias agebant; *bellicus* contra iis non poterat non inftructus effe: ita et colonia *togata* fine armis (nifi quod ipfius ductores paucos fatellites armatos habuiffe videntur); contra vero *fagata*, non nifi iufte armata, locum defignatum petiit. Tum quemadmodum exercitus *vrbanus*, fub folo vexillo, fine fignis militaribus, in campum egreffus eft; *bellicus* contra non nifi fignis ex aerario depromtis: ita quoque colonia *togata* fub vexillo folo deducta eft; *fagata*, praeter vexillum, omnia figna militaria, in itine-

 re,

*) Trekell. l. c. p. 221. f. conf. Marc. Velfer. Rer. Augufta-Vindelic. l. 5. initio.

**) loc. cit. p. m. 268.



re, secum gestauit. Ad haec quemadmodum *exercitus ciuilis* haud distributus fuit in legiones, cohortes, turmas, manipulos, siquidem haec diuisio non nisi ad classem procinctam requirebatur; *bellicus* vero sine eiusmodi distributione esse non potuit: ita quoque *sagata* duntaxat colonia, veluti iustus exercitus, in suos distributa fuit ordines, *togata* non item. Tandem vti *exercitus vrbanus* ab eo saltem, qui comitiis lustroue condendo praeesset, regebatur; *bellicus* contra imperatorem, tribunos, centuriones cet. habebat: ita etiam colonia *togata* a solis gubernata est ductoribus, *sagata* vero, ad formam iusti exercitus, praeterquam imperatorem, habuit tribunos, praefectos, centuriones. Cuius rei testis est Hyginus *), qui, multis, inquit, legionibus contigit, bellum fortiter transigere, et ad laboriosam agriculturae requiem, primo tirocinii gradu peruenire. Nam cum signis et aquila, et primis ordinibus, ac tribunis deducebantur. Quam rem, initio quidem ita institutam, Nerone imperatore, iam mutatam fuisse, confirmat Taciti **) querela: qui, „non, vt olim„ inquit, „vniuersae legiones deducebantur cum tri-„bunis, et centurionibus, et cum suis cuiusque „ordinis militibus, vt consensu et caritate remp. „efficerent; sed ignoti inter se, diuersis manipu-„lis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex „alio genere mortalium repente in vnum collecti, „numerus magis, quam colonia„. Tam breui tempore desitum est obtemperari priscis imperatorum Rom. institutis. Quae si Vespasianus, Titus, Traianus, alii, posthac maiori cura obseruarint, heic loci indagare non est necesse, quoniam haec quae-

*) De limitibus constit. p. 160. ed. Goesii.

**) Annal. l. XIV. 27.

quaeſtio ad id, de quo diſputatur, non pertinet. Eſt potius, reor, exponendum, quid fieri debuerit, colonia, ſeu *togata* eſſet, ſeu *ſagata*, in locum adſignatum deducta.

Nimirum ductores, ſingularum rebus vel ex S. P. Q. R. lege tum perlata, vel ex imperatoris libidine et arbitrio, conſtitutis ordinatiſque, *coloniarum* poſthac *patroni* dicti ſunt, et habiti, ad quos, vel in vrbem reuerſos, delata fuit, ſiqua naſcebatur colonorum, et incolarum veterum concertatio, vt ipſi, cauſſa cognita, litem dirimerent, coloniaeque ius et auctoritatem aduerſus veteres colonos tuerentur. Quod vobis, ſi libet, intelligere licet ex eo, quod Cicero de contentione, quae colonis, a Sulla Pompeios miſſis, aliquando cum priſcis oppidi incolis fuit, commemorauit*), quaeque in eo, quem dixi, libello qualicunque meo, inde narrantur. Ceterum Liuius, in primis, facit, vt plerosque coloniarum deducendarum ductores, rebus peractis, Romam exiſtimem reuerſos: vtpote qui, veluti rem memoratu dignam, tradit**), Agrippam Menenium, T. Clodium Siculum, M. Aebucium Eluam, III viros coloniae Ardeam deductae, negotio confecto, colonis ſeſe adſcribi paſſos, et remanſiſſe in colonia, quam integritatis iuſtitiaeque teſtem habuiſſent. Quod eorum factum Liuius, opinor, vix memoriae prodiderit, niſi id ipſe pro ſingulari et minus vſitato habuiſſet. Ex quo eiuſdem auctoris loco praeterea palam fit, eiuſmodi ductorum munus non raro difficile fuiſſe, et moleſtiae plenum, ita, vt neutris, h. e. neque a quibus miſſi erant, nec quibuscum, prorſus ſatis facerent, ſed vtroſque perquam facile offenderent. Ceterum Romani, praeterquam *togatas* et *ſagatas*, *Lati-*

*) pro P. Sulla, c. 21. **) l. IIII. c. 11. extr.



Latinas etiam atque *Italici iuris* colonias misisse a priscis auctoribus commemorantur: de quibus, quoniam vniuersum hunc locum de industria non persequor, nihil est, quod copiose disseram. Rem tetigisse sat est: si VOBIS haec omnia curiosius indagare placeat, Sigonii, Heineccii, aliorum, quos iam dixi, libros adeatis, necesse est.

Interim hoc, quod supra dixi coloniarum discrimen, fecit, vt singulae etiam iuris essent singularis; de quo breuiter strictimque dicendum puto. Ac primum quidem omnium, quoniam colonos conditoribus suis eundem, quem liberi parentibus, debere Romani *) non minus, quam ceteri antiquitatis populi, crediderunt: ad intelligendum facile est, eos, quantum iuris haberent ciues ipsi, tantum coloniae tribuisse nulli, ne vmquam adduceretur, vt pietatis atque reuerentiae, quam Romae veluti matri deberet, eam caperet obliuio. Vnde Sigonius colonis *togatis*, seu *ciuium Rom.* iura ciuitatis publica, vt, census, tributorum, vectigalium, suffragii, honorum, cet. contendit ademta esse, nec nisi iura Quiritium relicta, vt, libertatis, gentilitatis, nexus, vsucapionis, et siqua huius generis sunt alia. In alia omnia abit Manutius et Harduinus: vterque colonos, qui ciues R. fuissent, ius suffragii ferendi, et magistratuum Romae gerendorum retinuisse affirmat, tam Liuio, variis historiae R. locis, quam numis non paucis adstipulantibus. At vero Sigonii potius, quam Manutii Harduinique sententiam stare posse, luculenter demonstrat Ezech. Spanhemius **). Cui assentiri video Heineccium: qui, rei confirmandae caussa, adfert locum insignem Dionis Cassii ***), quo Caesar colo-

*) Dionys. Halic. l. c. l. 9. p. m. 68. ff.

**) in Orbe Rom. l. I. c. III. p. m. 142. ff.

***) l. 43. p. m. 233.



colonis aliis *χωρία καὶ ἀτέλειαν*, agros et immunitatem; aliis *πολιτείαν*, ciuitatem, adeoque ius municipum, *καὶ ἄλλοις, ἀποίκοις τῶν Ρωμαίων νομίζεσθαι*, aliis denique coloniarum Rom. ius dediſſe memoratur. Huic, me iudice, addi poſſunt, quae Dionyſius Hal. *) de Romuli inſtitutis atque adiumentis, vrbem recens conditam, ex parua, magnam efficiendi, litteris conſignauit: nimirum eum *ποιῆσαι ἀποικίας Ρωμαίων τὰς* (ſc. *πόλεις*) *κρατηθείσας· ἐνίαις δὲ καὶ πολιτείας μεταδιδόναι*. h. e. oppida, vi expugnata, alia Romanorum colonias eſſe iuſſiſſe, nonnulla etiam ciuitate R. donaſſe. Vterque auctor, quod videtis, ciuitatis Rom. ius, a iure coloniarum Rom. plane ſeiungit, eoque ipſo ſatis, niſi me omnia fallunt, comprobat id, quod Sigonius et Heineccius affirmant, *togatas* ſcilicet, ſiue ciuium R. colonias, ius poteſtatemque Romae ſuffragandi atque magiſtratus gerendi, penitus amiſiſſe. Quae, praeter cauſſas alias, haud dubie non minima fuit, cur nonnunquam perpauci eſſent, qui, datis nominibus, in colonos ſeſe transſcribi ſinerent **). Nec melior atque excellentior *coloniae ſagatae* ſtatus fuiſſe videtur: de quo Sigonium, huiuscemodi colonias exſequentem ***), nihil dixiſſe miror. *Colonorum*, quos Sulla Pompeios miſerat, *commoda* a fortunis Pompeianorum veterum, reip. fortunam diiunxiſſe ſcribit quidem Cicero †), hosque de ambulatione et de ſuffragiis ſuis, cum colonis ita diſſenſiſſe, vt Pompeiani ab his etiam in ius vocarentur. Ex quo ſuſpicari posſitis, coloniam hanc *ſagatam*, eamque ſi non omnium primam, at ex primis tamen vnam, meliore

*) l. II. p. m. 89.

**) Liu. l. III. 1.

***) l. c. l. III. c. 4. p. m. 773. ſſ. conf. Noriſii V. Cl. Cenotaph. Piſ. Diſſert. I. c. 2. p. m. 28. ſſ.

†) pro P. Sulla, c. 21.



liore fuiſſe loco, quam quo eſſent priſci Pompeiorum incolae, poſt bellum Marſicum ciuitatis R. iure donati. Id tamen, quamuis probabile, ego pro certo affirmare nolim, quum facile fieri potuerit, vt milites illi veterani, qua eſſe ſolent ferocitate, iura negarent ſibi nata, nihil non arrogarent armis, et, legibus neglectis, incolarum veterum ius ſuffragii et ambulationem ad ſe conuertere, quin rapere conarentur. Igitur coloniam *ſagatam* meliore, quam *togata*, loco fuiſſe, haud veriſimile videtur; etſi ceteroquin, Velleio Paterculo iudice, ipſarum et cauſſae, et auctores, et nomina praefulgerent. Quod ſupereſt, colonias R. ſi non omnes, certe quidem *togatas*, legibus non ſuis, ſed quas S. P. Q. R. auctoritate et iuſſu, ſingularum ductores in vnaquaque condiderant, vixiſſe accepimus. Hinc eas iura et inſtituta omnia populi Rom. non ſui arbitrii habuiſſe docet A. Gellius*). Quid? quod ipſarum conditio non poterat non magis obnoxia eſſe: (non enim, vt idem ſcribit Gellius, extrinſecus in ciuitatem veniebant, nec ſuis nitebantur radicibus, ſed ex ciuitate alia quaſi propagatae erant:) eandemque longe ſuperare *municipiorum* ſtatus, quorum ciues ſuis legibus, ſuo iure vtebantur, nullis aliis neceſſitatibus, nullis populi R. legibus adſtricti, ni populus earum fundus factus eſſet. Quae quum primis certe temporibus ita ſeſe habuerint, ſaepe factum, vt coloniae *municipiorum*, coloni *municipum* nomen ſibi arrogarent. Cuius rei teſtis idem Gellius eſt, qui (l. c.) ſcribit: quotus fere noſtrum eſt, qui, quum ex colonia Pop. R. ſit, non et ſe *municipem* eſſe, et populares ſuos *municipes* eſſe dicat? Item Vlpianus

*) l. c. l. XVI. 13.

nus *) ac Fontaninus **). Hinc *Hispellum* in marmore Gruteriano ***) *coloniam*, in alio Reinesiano †) *municipium* vſurpari cernitis. Quin etiam *coloniis* non raro *municipiorum* loco eſſe, et iure frui, permiſſum legimus. Quod de colonia, Sueſſa, ipſe Cicero prodidit ††). Poſthac vero, Hadriano imperante, exiſtimari coeptum, colonias meliori conditione eſſe, quam municipia: vnde complura municipia antiqua, quum ſuis inſtitutis ac legibus vti potuiſſent, in coloniarum ius mutari maluerunt. Quam rem aeque, ac cauſſam, cur ita creditum ſit, Gellius eo, quem dixi, loco expoſuit. Ceterum, qua ratione municipia, eadem etiam coloniae, quae itidem ciuitatis R. ſimulacra quaedam ſibi videbantur eſſe, gubernari ſunt ſolitae. Hinc ſi de *ordinibus* quaeratis; *Decuriones*, *Auguſtales* et *plebem* ibi inuenietis: ſi de *conſiliis publicis*; *decuriones* et *populum*, ſiue *Senatum populumque*: ſi denique de *magiſtratibus* et *ſacerdotibus*; *duumviros*, *aediles*, *quaeſtores*, quin *cenſores*, *flamines* cet. Ex quo non dubito, quin vos, qua haec, nihil fere inter *coloniam* et *municipium* interfuiſſe peruideatis. Quod ſupereſt, praeter *decuriones*, quos dixi, et *magiſtratus* alios, fuerunt etiam *coloniarum*

*) l. I. D. ad municip. et de incol.

**) In Antiquitt. Hortae, v. 1.

***) p. CCCLI. n. I.

†) cl. I. n. 297.

††) Philipp. XIII. c. 8. Idem teſtatur numus Coellutanus, quem ſupra (p. 35. not. ***) indicaui. *Coellu* vrbs fuit Numidiae maritima, in qua, vt in huius prouinciae compluribus aliis, colonias conſtituerat *Aelius Hadrianus*: vnde eius in honorem Senatus R. numum cum hoc titulo RESTITVTORI . AFRICAE cudi curauit. Hinc AELIA. COL. COEL per ſe dici debebat. Sed municipii dignitatem ab eodem Hadriano adepta, in numo, quem dicimus, AEL. MVNIC. COEL h. e. Aelium municipium Coellutanum ſeſe appellat.



rum patroni, quorum in marmoribus vetuſtis creberrime ſit mentio. Qui quo pacto electi ſint, et decretum ſuper patrocinio, cuipiam deferendo, perſcriptum, tabulisque inciſum, eruditiſſime exſequutus eſt non nemo, qui *Polydori* nomen vel geſſit, vel certe adſciuit *).

Expoſita *municipii* et *coloniae R.* ratione ac forma, demonſtratoque, qui in vtraque ciuitate, ſenatorum loco eſſent, vſurpatos fuiſſe *decuriones:* rei ratio poſtulat, vt a quo cuiuſque talis reipublicae **) ſenatores omnium primi creati ſint et conſtituti, anquiramus. Et *Coloniarum* quidem *decuriones* a primis cuiusque ductoribus renuntiatos eſſe, coniicere poteſtis, I. O. et coniicitis haud dubie, ex eo, quod iſti a S. P. Q. R. ad hanc rem creati, plenaque poteſtate muniti, nouam ciuitatem ordinare debuere. Quae bene recteque ordinata dici non potuerit, niſi inſtituto conſilio aliquo publico, vel ſenatu, h. e. lectis ex omni colonorum numero *decurionibus*, qui negotia publica curarent. Id praeterea confirmari poteſt eo, quod Cicero ***) de Rulli lege prodidit: qua hominem, ait, voluiſſe, vt X viri quinque millia colonorum Capuam deducerent, et ibi *centum decuriones* cet. conſtituerent, ac nouae coloniae praeficerent. Quos igitur hac in colonia X viri creare debebant *decuriones*, eos in aliis haud dubie III viri, V viri, cet. legerunt, nouaeque ciuitati praeeſſe iuſſerunt. In *municipiis* autem, credibile eſt, *decu-*

*) Eius commentatio in libro Italico, Nuova Raccolta d' opuſcoli ſcientifici e filologici, T. VII. p. 417. ſ. exſtat.

**) Nomen hoc ſatis magnificum affectaſſe tam colonias, quam municipia, complures oſtendunt lapidum tituli. conf. Marmor. Piſaurenſ. commentar. p. 15.

***) Agrar. II. c. 35.

decuriones omnium primos ſi non iuſſu, at commendatione tamen S. P. Q. R. conſtitutos eſſe, quo tempore cuique ciuitatis Rom. ius eſt datum. Quid? quod Romanorum belli dux, qui vel oppidum aliquod vi ceperat, vel regionem aliquam in prouinciae R. formam redegerat, ipſius incolis leges, quas hoc in negotio obſeruarent, impoſuiſſe videtur: quod de diuerſis Siciliae oppidis teſtatur Cicero *); de Bithynis, et Ponticis, Plinius ſecundus **): qui hos ait, hac in re, vti lege Pompeia, quod Cn. Pompeius, deuicto Mithridate, eum agrum in prouinciae formam redegiſſet.

Decurionum creandorum numerus adeo non vnus idemque eſſe potuit, vt potius, pro ciuitatis cuiusque magnitudine, ciuium numero, negotiorum copia et grauitate, variare debuerit. In quibusdam ſi *centum* legimus vel conſtitutos, vel conſtitui iuſſos; in aliis credibile eſt, multo pauciores fuiſſe. Horum in ordine qui ceteris erant praeſtantiores vel aetate, vel cenſu, vel dignitate et prudentia; eis etiam, veluti primis, primus in ipſa *decurionum* deſcriptione locus adſignatus eſt, addita ſimul numeri nota, quot eorum in vno municipio, vnaue colonia eſſent. In aliis enim $\overline{V}$, $\overline{X}$ in aliis, vel plures etiam fuere, qui reliquis auctoritate et honore antecellerent. Ex quo, reor, intelligetis, qui ſint *quinque-primi*, *decem-primi*, *quindecim-primi*, in monimentis et a ſcriptoribus antiquis paſſim memorati: qui tamen ab ipſis magiſtratibus, vti Romae a Coſs. ſenatores, probe ſecernendi ſunt ***).

*) in Verrin. l. II. c. 49. ſ. qui locus huius inſtituti quaſi fons ac ſedes eſt.

**) Lib. X. ep. 113.

***) v. Cic. Verr. II. c. 67; III. 28, 31; pro Roſc. Am. 9; de Nat. Deor. l. III. 30; Iul. Caeſ. de B. C. l. I. 35. conf. Walchii Diſſert. de Publio Πρώτῳ Meliten-

Decu-



Decurionum numerus ſiquo caſu eſſet deminutus, adeoque loca in curia vacua: is diuerſa via et ratione expleri potuit, debuit: in quo negotio leges, primum ſancitae, rurſus erant obſeruandae. Primum adlecti ſunt, qui ex *decurionibus* erant nati *): quos quidem *originales*, ſiue *origine curiales* **), item, *qui patre maioribusue decuriones eſſent* ***) vſurpare, moris fuit: in quo tamen non tam matris, quam patris originem ſequebantur. Hinc *decurionum filii* XVIII annorum, quamquam poteſtate patria necdum ſoluti, muneribus ciuicis adſtringi iubentur ****). Alii legebantur vel a *cenſoribus*, nimirum municipalibus vel colonicis †), vel ab ipſo *decurionum ordine* ††), qui *deſignati*, *nominati*, *electi*, vocabantur; vel denique ſingulari imperatorum beneficio quibusdam ciuitatibus ſuper legitimum numerum adiiciebantur. In quibus cooptandis tum prudentiae, grauitatis, integritatisque, tum cenſus, meritorum in ciuitatem, atque domicilii ratio habenda fuit †††). Primam quaſi proprietatem in decurionibus legendis ſpectatam eſſe, nemo facile inficiatum ibit: ciuitati enim vniuerſae, ac ciuibus ſingulis, conſulere debuerunt. De reliquis vt itidem conſtet, auctorum veterum teſtimonia, vel monimenta alia, ſunt adferenda. *Cenſus* rationem habitam eſſe apparet ex Cicerone ††††) et Plinio †††††) haec ad *Firmum* ſcribente: „Eſſe tibi „centum millium cenſum, ſatis indicat, quod apud „nos„ (ſc. municipes Comenſes) „Decurio es. „Igi-

litenſium ad Act. 28, 7. p. 52. ſſ.

*) v. Cod. Theodoſ. tit. de Decur. l. 13. 74. 58. 98.

**) ibid. l. 13. 38. 58. 96. eiusd. tit.

***) l. 147. eiusd. tit.

****) leg. 7. ei. tit.

†) Plin. l. X. ep. 83. 113. 115.

††) leg. 66. eiusd. tit.

†††) l. 140. ei. tit.

††††) loc. cit.

†††††) l. I. ep. 19; X. 113.

„Igitur vt te non decurione ſolum, verum etiam „equite Rom. perſruamur, offero ad implendas „equeſtres facultates CCC millia numum „. Et erat certe, cur cuiusque cenſum ſpectarent: decuriones enim impenſas longe maximas, quod poſthac docebo, facere oportuit. Tum ciuium in ciuitates, cuiusque ſuam, merita ponderata legimus, in decurionibus adlegendis: id quod e non paucis vetuſtorum ſaxorum titulis liquido apparet. Exemplum ſimile, plura vt taceam, habetis in Gruterianis *).

SEX . VENCIO
IVVENTIANO
FLAMINI . DIVI . AVG
ITEM . FLAMINI . ET . CVRA
TORI . MVNERIS . GLADI
ATORI . VILLIANI . ADLEC
TO . IN . CVRIAM . LVGVDV
NENSIVM . NOMINE
INCOLATVS . A . SPLEN
DIDISSIMO . ORDINE
EORVM
ORDO . VOCONTIOR
EX . CONSENSV . ET . POS
TVLATIONE . POPVLI
OB . PRAECIPVAM
EIVS . IN . EDENDIS
SPECTACVLIS . LI
BERALITATEM

Denique commorationis locus etiam ſpectatus: quam ob cauſſam nonnulli duarum ciuitatium, vel *patriae ratione*, vel *incolatus vinculo et iure* **) *decuriones* fuiſſe deprehenduntur. Quod non eius

 tan-

*) p. CCCCLXXXIIII. n. 2.

**) v. Cod. Theodoſ. l. 12. tit. de Decur.



tantum lapidis, quem illico attuli, ſed alius etiam, in iisdem Gruterianis *), titulus plane demonſtrat:

L . LVCRETIO . SEVERO . PA
TRICIENSI . ET . IN . MVNICI
PIO . FLAVIO . AXATITANO
EX . INCOLATV . DECVRIONI
QVAM . TESTAMENTO . S
PONI . SIBI . IVSSIT . DATIS . SPOR
TVLIS . DECVRIONIB . . . .
M . F . AXATITANI **) SIMVS XII.

Ex eo lecto examinatoque cernitis, I. O. *L. Lucretium Seuerum*, cuius in honorem vna cum hoc titulo poſita erat *ſtatua*, (quam quinti verſus ſigla S. haud dubie ſignificat) duarum ciuitatum *decurionem* fuiſſe: nimirum *coloniae Patriciae*, quod Hispaniae oppidum frequentius *Corduba* vſurpatur, et *municipii Flauii Axatitani*, vel *Axalitani*, quod Buiſchingius, V. Celeb. mauult ***), qui vicum hodie *Lora* dici ſimul affirmat. Is quoniam in ciuitate poſteriori, *ex incolatu* dicitur *decurio* fuiſſe, idem in priori, nimirum *colonia Patricia*, alia de cauſſa, nimirum *patriae ratione*, fuerit, neceſſe eſt. Quod niſi concedatur, *τὰ ex incolatu* temere inconſiderateque adiecta videtis. Eodem modo lapidis Nolani, apud eundem Gruterum †), titulum, quo P. SEXTILIVS P. F. FAL. RVFVS, POMPEIANVS DECVRIO, ADLECTVS EX VETERIBVS NOLANIS dicitur, interpretandum eſſe, res ipſa clamat ††). Alii denique fuerunt *decurio-*

*) p. CCCCXXXII. n. 7.
**) fortaſſe: NVMIS.
***) Geograph. tom. II. p. m. 203.
†) p. CCCCLXVIII. n. 9.

††) Similis lapis (qui in Marmor. Taurinenſ. P. II. n. CLXXV. p. 137. exſtat) P. Metellum et Taurini, et Eporediae decurionem, ac prae-



curiones spontanei, qui *soli genitalis amore*, nomina sua curiis addixerant, h. e. qui amore in patriam adducti, in decurionum numero esse, et curiarum coetibus interesse, sua sponte voluerant: quibus

 post-

praeterea ibi quaestorem, hic II virum fuisse testatur: quae munia tamen non nisi diuersis temporibus ipsum obire potuisse iudicant marmorum editores, Antonius Rivautella, et Io. Paullus Ricolui, VV. C. C. Quae, si de *quaestura* et II *uiratu* dicta velint, facile concedo: sin etiam de *decurionatu*, istis adstipulari nequeo. Qui enim in hunc cooptatus erat ordinem, omnem aetatem in eo transigere solebat, nisi grauissimis de caussis senatu a censoribus eiiceretur. (Plin. l. X. ep. 115). Quod duumviros, quos dixi, vt multa alia, latuisse miror. Hi in aliis etiam interpretandis, quam decuit marmorum editores, eruditionem non ostenderunt ac prae se tulerunt: vt in hac (ibid. n. CXI. pag. 108.)

C . IVL . CAESAR . C . F
DE . GALLEIS
Ꞩ . ALLOBROGIBVS
. . . . PHAVIT

qua descripta, addunt: „Hanc quoque aut spuriam, „aut corruptam prorsus du„cimus. Emendare vero et „interpretari qui velit, ille „nobis erit *Magnus Apollo*„. Ego vero, qui me haudquaquam *Apollinem*, nedum *Apollinem magnum* esse iuxta scio, ac fateor, illico peruidi, eam nec spuriam, nec deprauatam esse; nec difficilem denique ad emendandum atque interpretandum. Nam τὸ GALLEIS pro GALLIS, centies in lapidibus ac numis reperitur, vt infra DEIXISTIS, pro DIXISTIS: τὸ Ꞩ pro ET positum est, quod itidem saepenumero reperitur: et in vocabulo postremo deficiunt litterae TRIVM quae reliquis adiectae, efficiunt TRIVMPHAVIT. Quo facto, clara omnia et perspicua sunt; nimirum, C . IVLIUS . CAESAR . Caii. Filius. (quem vel tirones ex ipsius Commentariis, ex Tullii, Suetonii, aliorum libris norunt) DE . GALLIS . ET . ALLOBROGIBVS (qui erant inter complures Galliarum populos, a Caesare deuictos) TRIVMPHAVIT. Quod verum esse, historia itidem confirmat. Marmora qui edere et interpretari adgressus, in rebus adeo facilibus, perspicuisque allucinatur; nae is perexiguum doctrinae suae documentum edere, sibique parum auctoritatis et existimationis conciliare videtur.



hac inde discedendi potestas erat nulla *). Ceterum homines communiter omnes, quamuis censum haberent, in decuriones adlegere non licuit. Id quod Leptam docet Cicero **): „Quaesiui e Bal„bo, quid esset in lege: rescripsit, eos, qui facerent „praeconium, vetari esse in *decurionibus:* qui fe„cissent, non vetari„. Ergo curia excludendus erat, *praeconio* qui operam dabat; qui *tabellionis* officio ***) fungebatur, et, vt paucis praecidam, quicunque sordido vitae instituto quaestum faciebat.

Decuriones quum coloniarum atque municipiorum senatores essent, suarumque ciuitatum saluti et incolumitati consulere deberent; eorum munia et officia quin complura fuerint et diuersa, dubium profecto est nullum. Ea vt variis comprehenduntur nominibus, ita iuxta longum ac difficile fore intelligetis, omnia et singula dicendo persequi. Hinc non nisi pauca, et praecipua, indicabo. Nimirum ad *decuriones*, (si a iuris dicundi prouincia, quae penes praesidem Rom. a Coss. vel imperatore missum, aut penes ciuitatis cuiusque II viros esse solebat, aliisque a negotiis, quorum curatio aedilibus vel quaestoribus permittebatur, discesseritis) ciuitatum, quemque suae, salus pertinuit, ita, vt singuli videre deberent, nequid ea detrimenti caperet: in primis vero prudens redituum publicorum administratio, operum publicorum cura, annonarum exactio, tributorum adscriptio: tum iudicum sententias exsequendis, et legationes obeundi munus, cet. Praeterea creabantur *susceptores* aliis in prouinciis, suoue periculo nominabant eiusmodi *susceptores*, h. e. vel redemtores, vel redituum exactores. Erant etiam metallo-

*) v. Cod. Theodos. tit. de Decur. l. 172. et aliis.

**) ad Diu. l. VI. ep. 18.

***) leg. 3. eiusd. tit.

tallorum procuratores, adeoque ipſorum facultates deſcriptionibus atque contributionibus obnoxiae: et quae alia in legibus vtriusque codicis commemorantur. Quae omnia vt multa aeque, ac perquam moleſta fuere, ita fecerunt etiam, vt curias non pauci cane peius et angue fugerent, legesque ſanciendae eſſent, quibus homines ad obeunda decurionatus munia adſtringerentur. In quibus miror de religionis tuendae cura, quae itidem ad eos pertinuit, nihil dictum eſſe. Nam ſiquis Dei Deaeue aedem, vel aram publicam, aliquo loco exſtruere, ac dedicare conſtituerat; rem iſtam adgredi non licuit, niſi ex *decreto decurionum.* Quod ſiglae L. D. D. D. h. e. *Locus Datus Decreto Decurionum*, plerumque indicare ſolent: quas tamen in votis cauſſisque priuatis adhibitas, aliter interpretandas eſſe vidit, monuitque Reineſius *). Luculentum dictorum exemplum, ſiquod legere aueatis, exſtat in Marmoribus Taurinenſibus **): quo in ſaxo haec inciſa ſunt:

ISIDI
T. MINVCONIVS
ALEXANDER
V. S. L. D. D. D.

quae ſiglae, quoniam Iſidis caput in marmoris coronide cernitur, adeoque res ad iſtius Deae cultum pertinuit, ſignificant Votum. Soluit. Locus. Datus. Decreto. Decurionum ***). Saepe tamen non niſi ſiglae D. D. h. e. *Decreto Decurionum* reperiun-

*) Syntagm. Inſcript. antiquar. p. 42.

**) Part. II. p. 110. n. CXV.

***) Lapides, iisdem ſiglis, vel ſimilibus notati, exſtant in Reineſianis, cl. I. n. CXV. et n. CCXXXIIII; Gruterianis, p. XVII. n. II; XXII. n. 4. alibi; in Piſaurens. Part. I. p. 1. n. 1. al. in Antiquitt. Aquileienſibus p. 87. n. LV. et p. 89. n. LVIII.



periuntur: vt, in Gruterianis *), aliis. Huius formulae loco, alia, nimirum EX S. C. in saxo Praenestino, ad sacellum, vsurpata est: quae, quod iamdudum nostis, idem istud significat, et oppidorum minutorum Decuriones non raro *Senatus* nomen sibi arrogasse, simul confirmat. Ceterum operae pretium me facturum existimo, siquod *Decurionum Decretum* heic loci adferam, vt VOS, et alii, si qui futuri sint huius opusculi lectores, talium monimentorum rationem vniuersam, formam, formulasque sollennes inde perspiciatis. Id perscriptum fuit a *Caeritum decurionibus:* qui *Vesbino*, Aug. liberto, quem ab iis locum ad *Phetrium* aedificandum petierat, eo ipso dederunt. Appellabatur autem *phetrium*, pro *phratrium;* quemadmodum, teste quidem Polluce **) et Eustathio ***), φάτǫες pro φǫάτοǫες solebant dici: et locus erat, in quo *Augustales* conuenire solebant, vel ipsa eorum *curia*. Exstat isthoc in Gruterianis †). Tabula marmorea, ex qua descriptum est, seruabatur quondam apud Maphaeium, Patrum Purpuratorum collegio adlectum. Quae vtrum hodieque supersit? et, si superat, vbi locorum seruetur? id VOS, etiamsi peruelim, docere non possum.

Sed vnde digressa est, eo reuertatur nostra oratio. *Decuriones* isti, si *curialia*, quae dicebantur, *onera* omni, qua par esset, fide subierant, si omnibus officii sui muneribus recte defuncti, et ex popularium testimonio nunquam non integri vitae, scelerisque puri fuerant; insignibus etiam honoribus, tanquam praemiis, ornari sunt soliti. Primum enim, siue per annos, siue per prudentiam, aut alia in remp. merita, *Decem-primi*, vel *principales* vsur-

*) p. x. n. 2; XXI. n. II.
**) Onomast. l. III. c. 4.
***) ad Iλ. β'.
†) p. CCXIIII.

VTRI

. A

NATV

D M .

EX. HOS

QVOD .

CRIS

VNDO . P

XXVII

M IN . TEMP
VT . VTI .
COCVITQ .
EP SVETON
AELIS . POI
IN CVRIAT
VLICE . IN .
PH GRATIAE
SCDN . EST .
CVTIRE . VO
EX SET . T
ETDVS . SEP

A. P

. ISD

VESBINVS . AVG . L . PHETRIVM . AVGVSTALIBVS
MVNICIPI . CAERITVM . LOCO . ACCEPTO . A . RE . P
SVA . INPENSA . OMNI . EXORNATVM . DONVM . DEDIT
DESCRIPTVM . ET . RECOGNITVM . FACTVM . IN . PRONAO . AEDIS . MARTIS
EX . COMMENTARIO . QVEM . IVSSIT . PROFERRI . CVPERIVS . HOSTILIANVS . PER . T . RVSTIVM . LYSIPONVM
SCRIBAM . INQVO . SCRIPTVM . ERAT . IT . QVOD . INFRA . SCRIPTVM . EST

L.* PVBLILIO . CELSO . II . C . CLODIO . CRISPINO . COS . IDIBVS . APRILIB

M . PONTIO . CELSO . DICTATORE . C . SVETONIO . CLAVDIANO . AEDILE . IVRI . DICVNDO . PRAEF . AERARI . COMMENTARIVM . COTTIDIANVM . MVNICIPI
CAERITVM . INDE . PAGINA . XXVII . KAPITE . VI

M . PONTIVS . CELSVS . DICTATOR** . ET . C . SVETONIVS . CLAVDIANVS . DECVRIONES . IN . TEMPLO . DIVOR . CORROGAVERVNT . VBI . VESBINVS . AVG . LIB . PETIT VT . SIBI . LOCVS . PVBLICE . DARETVR . SVB . PORTICV . BASILICAE . SVLPICIANAE . VTI . AVGVSTALIB . IN . EVM . LOCVM . PHETRIVM . FACERET . VBI . EX CONSENSV . DECVRIONVM . LOCVS . EI . QVEM . DESIDERAVERAT . DATVS . EST / PLACVITQ . VNIVERSIS . CVRIATIO . COSANO . CVRATORI . OB . EAM . REM EPISTVLAM . MITTI / IN . CVRIAM . FVERVNT . PONTIVS . CELSVS . DICTAT . SVETONIVS . CLAVDIANVS . AED . IVRIDIC . M . LEPIDIVS . NEPOS AEDIL . ANNON . POLLIVS . BLANDVS . PESCENNIVS . FLAVIANVS . PESCENNIVS . NATALIS . POLLIVS . CALLIMVS . PETRONIVS . INNOCENS . SERGIVS . PROCVLVS INDE . PAGINA . ALTERA . CAPITE . PRIMO / MAGISTRATVS . ET . DECVRION . CVRIATIO . COSANO . SAL . IDIB . AVG . DESIDERANTI . A . NOBIS VLPIO . VESBINO . CONSILIVM . DECVRION . COEGIMVS . AQVIB . PETIT . VT . SIBI . LOCVS . PVBLICE . IN . ANGVLO . PORTICVS . BASILIC . DARETVR . QVOD . SE . AVGVSTALIB PHETRIVM . PVBLICE . EXORNATVRVM . SECVNDVM . DIGNITAT . MVNICIPI . POLICERETVR . GRATIAE . HVIC . ACTAE . SVNT . AB . VNIVERSIS . PLACVIT . TAMEN . TIBI SCRIBI . AN . IN . HOC . QVOQVE . ET . TV . CONSENSVRVS . ESSES . QVI . LOCVS . REI . P . IN . VSV . NON . EST . NEC . VLLO . REDITV . ESSE . POTEST . INDE . PAGINA . VIII . KAPITE . PRIMO CVRIATIVS . COSANVS . MAG . ET . DEC . CAERETANOR . SAL . EGO . NON . TANTVM . CONSENTIRE . VOLVNTATI . VESTRAE . SET . ET . GRATVLARI . DEBEO . SIQVI . REM . P . N EXSORNAT . ACCEDO . ITAQ . SENTENTIAE . VESTRAE . NON . TANQVAM . CVRATOR . SET . TANQVAM . VNVS . EXSORDINE . CVM . TAM . HONESTA . EXSSEMPLA ETIAM . PROVOCARI . HONORIFICA . EXORNATIONE DEBEAT / DATA . PRID . IDVS . SEPTEMBR . AMERIAE

ACT . IDIB . IVNIS . Q . NINNIO . HASTA . P . MANILIO . VOPISCO . CoS
DEDICATVM . K . AVG . ISDEM . CoS

*) A. V. C. 865. **) Pontifex Dictator. Albanus.

vſurpati, ſingulari prae reliquis fuerunt auctoritate *). Quod niſi memoria teneamus, ſaepe, quem intelligere deceat, haeſitabimus, quando in lapidibus *decurionem primum* **), vel *decurionem ſecundum* ***), quicquam aut feciſſe, aut adeptum eſſe legimus. Ex quo ſequitur, eos, quod ſupra iam dixi, haud dubie primos in *decurionum albo* poſitos fuiſſe; fortaſſe etiam, in conſilio publico, vt Romae *princeps Senatus*, virique conſulares, primos ſententiam rogatos: neque tamen propterea magiſtratus ipſos, vt, duumuiratum, aedilitatem, cenſuram, cet. geſſiſſe. Hos tamen, vti et reliquos, conſequi et poterant, et ſolebant etiam †). Quid? quod *decuriones* magiſtratus nouos, ſi non creare, certe quidem creatos ab vniuerſo populo, confirmare debuerunt. Vtrumque teſtantur lapidum complurium tituli ††), quos, ſi opus foret, transſcribere poſſim. Tum publicis non raro ornati ſunt monimentis, quibus eorum ſingularia in ciuitatem merita †††) ab obliuione vindicarentur. Deinde hoc quaſi priuilegio ſi non omnes, certe quidem *decem-primi*, muniti fuere, vt obnoxii non eſſent corporis iniuriis et poenis,

 ſiue

*) v. Cicer. Verr. II. c. 67; pro Roſc. c. 9. item in Cod. Theodoſ. tit. de haereſ. l. 54: quin apud Gruterum, p. LXXXVIIII. n. 4; CCCXXXXVIII. n. 7; Reineſium, cl. VII. n. 12. alios.

**) in Reineſ. cl. I. n. 99.

***) in Gruter. p. XXXVI. n. 2.

†) Vnde Paullus, ICtus (l. 7. §. 2. D. de Decur.) Is, inquit, qui non ſit decurio, duumuiratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt: quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur.

††) vt, in Gruter. pag. CLXXXXV. n. 4. memoratur PRAEF. IVR. DIC. AB DECVRIONIB. CREATVS; p. CCCCXXXXIIII. n. 8. AVGVR. EX. D. D. CREATVS; alii p. CCCCVIIII. n. 5; CCCLIIII n. 7.

†††) v. in Gruterianis p. CCCCLXXXVIIII. n. 9. 12; p. CCCCXXXV. n. 3. al.



fiue quaeftionibus*): maxime quidem *plumbatarum ictibus* **). Eo locis compluribus refpexit Libanius: item Prudentius libro περὶ ςεφάνων, hymno X. v. 108 ff. vbi haec cecinit:

Incenfus his Afclepiades, iufferat
Euifcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, et vncis vinculifque crefcere.
  Adparitores fed furenti fuggerunt,
Illum vetufta nobilem profapia,
Meritisque multis effe PRIMVM CIVIVM.
Iubet amoueri noxialem ftipitem,
Plebeia CLARVM poena ne damnet virum.
  Tundatur, inquit, terga crebris ictibus:
PLVMBOque ceruix verberata extuberet.
Perfona quaeque competenter plectitur;
Magnique refert, vilis an fit nobilis,
GRADV reorum forma tormentis datur.
  Pulfatus ergo martyr illa GRANDINE,
Poftquam inter ICTVS dixit hymnum PLVMBEOS,
Erectus infit: Abfit, vt me nobilem
Sanguis parentum praeftet, aut LEX CVRIAE:
Generofa Chrifti fecta nobilitat viros.

De quo *plumbatarum fupplicio* fi plura legere aueas, MI WINKLERE, non nifi *Patris optimi* differtatio, docte, vt eius omnia, eleganterque *de fupplicio plumbatarum media aetate vfitato*, fcripta, et A. O. R. CIƆIƆCCXXXXIIII. promulgata, TIBI lectitanda erit. Ea TE non haec tantum, quae huc pertinent, docere poteft, fed etiam, multiplicem et exquifitam *Patris Clariffimi*, fuisque laudibus florentiffimi, eruditionem quafi ante oculos fiftens, ad Ipfius exemplum recte, et vti filium decet καλοκἀγαθον, nunquam non imitandum, ducet, trahet, rapiet. Suftines enim, mihi crede, non exiguam exfpectationem imitandae induftriae patriae, magnam honorum, non poftremam quoque nominis.

*) l. 14. D. de Dec. et fil. eor.

**) Cod. Theodof. leg. 39. 47. 80. 85. tit. de Decur.

minis. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, ſi diſcendi labor eſt potius, quam voluptas: tantum fac, vt efficias, *Patris* que *tam Eximii* ſimilis euadas: neue committas, vt cum omnia TIBI ſuppeditata ſint a *Parentibus Optimis*, ipſaque fortuna, TV te TIBI defuiſſe iudicere. Sed haec hactenus, et Ciceronis quidem verbis. Porro *decuriones* erant immunes, adeoque liberi ab omnibus ciuium aliorum muneribus, vt, praefectura annonae, manſionum, cet.*). Quibus qui nihilo ſecius defungi voluerat, is ſingularem apud populares inire ſolebat gratiam, praecipuoque honore dignus haberi. Vnde fit, vt eiusmodi merita ſingularia in lapidibus non raro commemorentur: vt, in Gruteriano aliquo **) laudatur *Veratius Seuerianus* eo nomine, quod ADLECTVS . IN . ORDIN . DECVRION . CVM . PRIVILEGIO . SACERDOTI . CAENINENSIS . MVNITVS . POTVISSET . AB . HONORIB . ET . MVNERIB . FACILE . EXCVSARI . PRAEPOSITO . AMORE . PATRIAE. ET . HONOREM . AEDILITAT . LAVDABILITER. ADMINISTRAVERIT . ET . cet. Aliorum merita alia in aliis praedicantur. Denique eosdem honorem *ex-comitibus*, item ius et poteſtatem ludos, ſi quidem vellent, edendi conſequutos eſſe, leges demonſtrant ***).

Quod ſupereſt, collegium eiusmodi ſenatorum *municipalium* atque *colonicorum* accepimus ORDINEM κατ᾽ ἐξοχὴν vſurpatum eſſe. Municipia enim et coloniae, vt in aliis, ita in hoc aemulabantur Romam, quod ciuitatis ſuae homines itidem tum in *ſenatum* et *populum*, tum in TRES ORDINES

*) leg. 75. eiusd. tit. Cod. Theodoſ.

**) p. CCCCLXXXIIII. n. 6.

***) leg. 75. tit. de Decur. et leg. 3. tit. de Scen. Cod. Theodoſ.



NES distribuerent*). Reip. Rom. ordini senatorio respondit *ordo decurionum*, siue *curialium* ac *buleutarum:* e quibus magistratus, vt, *duumuiri*, quasi consules, *praefecti iuri dicundo*, quasi praetores, *aediles*, *quinquennales*, loco *censorum*, quo nomine eos saepenumero vocarunt, alii, creati sunt. *Equitum* R. seu *ordinis equestris* quasi simulacrum erant *equites municipales:* qualem, non sine multo sale, M. Ciceronem appellauit Iuuenalis**); quales sexcenti alii in lapidibus vetustis vsurpantur, vt, Gruterianis***), alibi. *Plebi Rom.* aequiparari potest reliqua coloniae municipiiue plebes, a decurionibus gubernari solita. De ordine equestri et plebeio non attinet hic disputare: de *decurionum collegio* pauca censeo adiicienda. Id plerumque *ordinem* κατ' ἐξοχὴν vsurpatum esse, paullo ante dixi: et, quod dixi, confirmare possim, si opus sit, praeter multa auctorum veterum loca, compluribus lapidum inscriptionibus. Euoluite saltem, si placet, thesaurum Gruterianum †), vt rem ita esse videatis. Praeterea, honoris caussa, AMPLISSIMVS, SPLENDIDISSIMVS, NOBILISSIMVS, CLARISSIMVS, SANCTISSIMVS dici consuerat: quod discere licet ex Cicerone ††), et marmoribus vetustis: vt, Gruterianis †††), Taurinensibus ††††), aliis. Nonnunquam *ordinis* vocabulo ipsum *decurionum* nomen quasi per pleonasmum adiectum vidimus: vt, in saxis Gruterianis †††††) ORDO . SANCTISSIMVS . DECVR. Plura de industria, ne iusto sim copiosior, silentio praeter-

*) p. 37. et 47.

**) Sat. VIII. 238.

***) p. CCCXXXXV. n. 10; MXXX. n. 5.

†) p. XXXX. n. 12; CIII. n. 7; CCLXIII. n. 4; CCLXXVI. n. 5; CCCCXXVI. n. 8.

††) pro Coelio c. II.

†††) p. CCCXXXXVIII. n. 1; CCLXXI. n. 1; CCCXXXXVII. n. 1; CCLXXVI. n. 7; CCCXVII. n. 10; CCCIIII. n. 8.

††††) Part. I. p. 143.

†††††) CCCCLXXXXIII. n. 5.

termitto. Exempla alia Schwarzius V. Cl. protulit *): cuius libellum et a VOBIS, et a quocunque lectore, harum rerum cupido, hac super caussa aditum velim. Nec male feceritis, si, quae Norisius, scriptor longe celeberrimus **), de colonicis potissimum decurionibus et magistratibus erudite scripsit, hac in quaestione legere, et cum nostris comparare non grauemini. Ceterum vos, hunc locum anquirentes, nunquam non meminisse decet, ea, quae hactenus a me dicta, et testimoniis, monimentis vetustis, ac legibus demonstrata sunt, in plerisque municipiis atque coloniis vsu venisse; nec tamen defuisse, in quibus instituta alia obtinerent: vt in Bithynis et Ponticis ciuitatibus, quarum incolas, lege aliqua Pompeia, ad singularia quaedam obseruanda adstrictos fuisse, supra dixi; vt, Antiochiae, cuius *curia*, per singularem Imperatorum R. indulgentiam, vindicare sibi potuit ciuem, qui matre, decurionis filia, quamquam patre non decurione, natus esset †), quum aliis in ciuitatibus non nisi patris haberetur ratio in decurionum numero explendo ††). Consimile discrimen in locis aliis, alias ob caussas, locum habuisse, perquam facile ad credendum est, etiamsi certum sit, qui cuncta inuestigare, et, vt ita dicam, ad viuum resecare queat, hodie esse neminem.

Verba tituli, de quo disputamus, consequentia, OB . LIBERALITATEM admodum frequenter exstant in saxis vetustis: nec VOS, quid ea hoc loco significent, latere potest. Eis Ipsi videtis laudari *N. Popidii* munificentiam eam, qua Isidis aedem,

*) Miscellan. polit. humanit. l. c.

**) in Cenotaph. Pis. Dissert. I. et II.

†) leg. 51. C. Theodos. tit. de Decur.

††) leg. 101. ei. tit.



dem, terraemotu conlapſam, ſuis ſumtibus inſtauraverat. Quod pro tanto in rem Pompeianam merito habitum eſt, vt ipſius auctorem ſingulari remuneratione dignum iudicarent *decuriones*. Quae qualis fuerit, poſthac exponetur. In praeſenti hoc ſaltem obſeruatum velim, *decuriones Pompeianos* habuiſſe, et quos ſequerentur ipſi, et quos ad ſe imitandos adducerent. Reperimus profecto tam in hiſtoria, quam in monimentis aliis, non paucos, ob qualecunque in remp. ſuam meritum, aut honoribus eſſe auctos, aut ſtatuis, vel ornamentis certe decurionalibus ornatos. Priſci enim, Graeci non minus, quam Romani, non tantum ſcelera et flagitia, vti nos hodie, poenis ſuppliciisque perſequendo, ſed etiam recte honeſteque facta, in primis merita in remp. publice remunerando, populares ad virtutis ſtudium et egregia facinora excitandos cenſuere. Hoc iam ex *Caeritum SCto*, quod ſupra protulimus, intelligére poteſtis. Qua via et ratione quam prudènter egerint, nosque prudentia longe ſuperarint, dignum ſane foret, quod quiſpiam recte indaget, indagatum ob oculos virorum principum ponat. Sed locum, quoniam huc non pertinet, tangere ſaltem, non dicendo perſequi poſſum. Id potius, quod adgreſſus ſum, exſequar, et paucis, quae ſaxorum monimenta ſuppeditant, exemplis demonſtratum ibo. Dignus in primis remuneratione aliqua publica viſus eſt, qui pius in Deos, ad horum cultum prouehendum, quicquam feciſſet. Hoc quum ſaxum, de quo quaeritur, Pompeianum demonſtrat, tum aliud in Gruterianis*) poſitum in *L. Munatii* honorem, QVOD . AEDEM . SATVRNI . FECERIT; in primis vero id, quod a Pingonio et Gorio iam edi-

*) CCCCXXXVIIII. n. 8.

editum, Du Boze *) commentario ſingulari interpretatus eſt. Hoc, quoniam ſingularia quaedam tradit, huc transſcribere placet, vt, in quo interpretando ingenium exercere poſſitis, habeatis:

TAVROBOLIO . MATRIS . D . M . I . D
QVOD . FACTVM . EST . EX . IMPERIO
MATRIS . IDEAE . DEVM
PRO . SALVTE . IMPERATORIS . CAESARIS
T . AELII
HADRIANI . ANTONII . AVG. PII . P . P
LIBERORVMQVE . EIVS
ET . STATVS . COLONIAE . LVGDVNENSIS
L . AEMILIVS . CARPVS . IIIIII VIR . AVG
ITEM . DENDROPHORVS
VIRES . EXCEPIT . ET . AB . VATICANO
TRANSTVLIT . ARAM . ET . BVCRANIVM
SVO . IMPENDIO . CONSECRAVIT
SACERDOTE
Q . SAMIO . SECVNDO . AB . XV . VIRIS
OCCABO . ET . CORONA . EXORNATO
CVI . SANCTISSIMVS . ORDO . LVGDVNENSIS
PERPETVITATEM . SACERDOTII . DECREVIT
APP . ANCO . ATIL . BRADVA
T . CLOD . VIBIO . VARO . COS
L . D . D . D

Qui titulus in Marmor. Taurinens. etiam exſtat **): quo loco plura de Taurobolio, et huius ritibus exponuntur. Cuiusmodi piis aduerſus Deos hominibus adnumerabantur etiam, qui ſuis impenſis munera in ipſorum honorem edidiſſent. Talis munificentia laudata et commendata fuit in lapide Gruteriano ***)

A . MV-

*) in Memor. Academ. Inſcript. et artium elegantiorum, T. II. p. 475.

**) Part. I. p. 19.

***) p. CCCCXXXX. n. I. Alios huic ſimiles reperietis ibidem



A . MVNIO . A . F
MIN . EVARISTO
SPL . EQ . R . PAT . COL
OMNIBVS . HONOR
NITIDE . FVNCTO . OB
INSIGNEM . EIVS . EDITIONEM
MVNERIS . BIDVI . POPVLO
POSTVLANTI . BIGAM
PLACVIT . EQVEST . STATVA
DECRETO . ORDINIS . EVM
ORNARI
L . D . D . D

Dignus eiusmodi remuneratione publica iudicatus eſt, qui, pecunia ſua in difficillima reip. tempora collata, eam interitu liberaſſet; quo nomine laudantur non pauci in Gruterianis *), aliis: dignus, qui qualiacunque opera publica, vt, aedes ſacras, moenia, vias publicas, aquas, item annonam et reditus publicos recte honeſteque curaſſet; quod itidem apparet ex Gruterianis **), aliis; item qui balnea condidiſſet, ſiue res ad lauationem neceſſarias gratis ſuppeditaſſet; quod Gruteriani varii teſtantur ***): dignus, qui legationem, pro reip. incolumitate, ſuis ſumtibus, ſuſcepiſſet, vti diſcimus ex Gruterianis †): dignus, qui res ad vitam tuendam neceſſarias, popularibus ſuis liberali animo largitus, vel quacunque alia via et ratione de patria optime promeritus eſſet; cuius rei documen-

to

ibidem p. CCCLII. n. 1; CCCCIIII. n. 2; CCCCVIIII. n. 3. alibi.

*) p. CCCCXXXVIIII. n. 6; CCCCXXXIIII. n. 1; CCCCLV. n. 4; CCCCLVI. n. 1.

**) p. CCCCVII. n. 7; CCCCXIIII. n. 1; CCCCXXVIII. n. 6; CCCCLXXXVIIII. n. 12.

***) p. CCCCXXII. n. 9; CCCCXXXI. n. 3; CCCCXXXIIII. n. 8.

†) p. CCCCLXXVIIII. n. 8; CCCCLXXXVIIII. n. 9.

to eſſe poſſunt tituli quamplurimi in Gruterianis*), aliis. Nonnunquam etiam viros de rep. bene promeritos funere publico, laudatione, cet. dignos legimus exiſtimatos: quod, praeter alia, hoc marmor Gruterianum comprobat **).

Q. TRAIO. Q. TRAI. AREIANI. FIL
QVIR. AREIANO. ARVENSI
HVIC. ORDO. MVNICIPII. FLAVII
ARVENSIS. OB. MERITA. LAVDATION
IMPENSAM. FVNERIS. LOCVM. SEPVL
TVRAE. ꟻ. STATVAM. DECREVIT
AEMILIA. LVCIA. MATER. ET
SERGIVS. RVFINVS. FRATER. EIVS
H. V. IMPENSAM. REMISERE

Poſtremi verſus verba poſtulant, vt heic loci nonnulla explicare debeam. Siglae, H.V. quas cernitis, I. O. ſignificant, *Honore Vſi:* quibus, et verbis conſequentibus, *Q. Traii* mater fraterque docent, ſeſe decretum, eius honorandi cauſſa factum, pro ſingulari habuiſſe gratia, et honorem, ei deſtinatum, accepiſſe quidem, neque tamen permiſiſſe, vt ſumtus, ad ea omnia neceſſarii, vel ex aerario publico depromerentur, vel, quod itidem factum conſtat, aere collato pararentur; ſed *impenſam remiſiſſe* ciuitati, et quaecunque ex decurionum decreto fieri debuiſſent, ſua pecunia facienda curaſſe. Id quod a multis aliis factum commemoratur in ſaxis, tum hac ipſa Φϱάσει, tum aliis. Vt, in Gruterianis, p. CCCLXXXIII. n. 7. HONORE. VSVS. IMPENSAM. REMISIT; vel p. CCCLXXXX.

*) p. CCCLXVII. n. 5; CCCCIIII. n. 5; CCCCXXXVIIII. n. 6; CCCLIIII. n. 4. et 7; CCCLVII. n. 5.

**) p. CCCCLXXVI. n. I.



CCCLXXXX. n. 6; p. CCCCXXVIII. n. 6. et alibi, HONORE . CONTENTVS . IMPENSAM . REMISIT; ſed p. CCCLXXXII. n. 6. HONOREM . ACCEPIT. IMPENSAM . REMISIT; p. CCCLXXXIII. n. I. HONORE . ACCEPTO . IMPENSAM . REMISIT cet. Ex quo eiusmodi homines καλοκάγάθȣς cum ciuitatis ſuae ſenatu populoque, liberalitate et officiis quaſi certaſſe, intelligitis. Alii haec omnia publice fieri paſſi quidem ſunt, ſed vt, quam grato animo eſſent, conſtaret, eo ipſo die, quo monimentum dedicabatur, iuxta plebi reliquae, ac decurionibus, ſportulas diſtribuere. Rem ita eſſe, lapidum tituli in Gruterianis, p. CCCLXXXXII. n. I; CCCLXXXXV. n. I, aliis, demonſtrant. Nonnullis, adeo modeſtis, vt monimentum ſibi publice poni vetarent, *decuriones* nihiloſecius fieri iuſſerunt: quod lapidis Gruteriani p. CCCXVII. n. 6. titulus vincit. Eius verba huc transſcribere, non eſt neceſſe. Satis enim, quod ſequutus ſum, aſſequutus mihi videor, ac demonſtraſſe, vnamquamque remp. bene inſtitutam et moratam, ciues bene de ſe meritos publica remuneratione dignos habuiſſe. Quo quaſi ſtimulo fieri non potuit, quin alii viri honeſti, et gloriae appetentes, itidem ad bene egregieque facta allicerentur. Tandem ſiqui fuere, quos bene de ciuitate ſua meritos in decurionum ordinem cooptare, adeoque ad magiſtratus et dignitates prouehere non poſſent: iis certe *ornamenta decurionatus*, vel *aedilitatis*, vel *praeturae* cet. decreuiſſe accepimus. Cuius inſtituti rationem marmorum complurium tituli itidem demonſtrant *).

Sequun-

*) conf. Val. Chimentellii marmor Piſanum, de honore Biſellii. Bonon. 1666.

Sequuntur verba: CVM . ESSET . ANNORVM SEXS . ad intelligendum ſane facillima, niſi poſtremum, ſingulari ratione ſcriptum, Italis quibusdam eruditis ſcrupulum inieciſſet, perpuliſſetque, vt vim ei alius aliam ſubiiciendam putaret. Quae ipſa eorum lis ne exoriri quidem potuerit, ſi, vt plerisque in libris vidi, SEX ſcriptum eſſet. Mouerunt eam Neapolitani nonnulli, ſaxo, vna cum titulo, ex ruderibus Pompeianis vixdum eruto: quorum pars *ſexaginta*, pars *ſexdecim* inde effici iuſſit. De qua cum *Ioſephus Galzeranus*, V. Cl. certiorem feciſſet per epiſtolam, Io. Lamium, Florentinum, V. Celeb. hic eius particulam, breui poſt, in commentariis litterariis, Florentiae ſcribi edique ſolitis, cum aliis viris eruditis communicauit. Ex quibus tum fuiſſe perſpexi, qui in vocabulo, de quo quaeritur, operarum lapſum ſuſpicarentur, idque pro *ſexaginta* poſitum contenderent; quibus epiſtolae auctor adſtipulandum putabat: alios, qui *Andrea Serno*, V. D. auctore, *ſexdecim* inde exſculperent: *Lamium* ipſum negaſſe quidem, in vocabulo ita ſcripto, lapicidae errorem ineſſe; contra S τῷ X adiectum quam rectiſſime, per pleonaſmum aliquem, priſcis Latinis valde ſollennem, cuius exempla tria e marmoribus Gruterianis adferret; at credidiſſe tamen, iſtud SEXS per *ſexdecim* non *ſexaginta* interpretandum eſſe. Eodem fere tempore V. Cl. *Iſidorus Blancus*, ordinis Camaldulenſis ritibus initiatus, in exercitatione ſubitaria ſuper hoc titulo ſcripta, et Rauennae publice lecta, itidem contendit, eorum, qui vocabulum, de quo quaeritur, pro *ſexaginta* poſitum crederent, ſententiam ſibi potiorem videri; ideoque alteram legibus quibusdam prolatis, refellere conatus eſt. Neque aliter exiſtimauit *Dominicus Migliaccius*, au-



ctor dissertationis de aede Isiaca, Pompeiis eruta, et inscriptione super illius foribus affixa; item appendicis huic libello adiectae: qua extrema, ὡς ἐν παρόδῳ ficticium illum *Andream Serno* non alium esse demonstrauit, ac *Franciscum Serao*, inclutum artis salutaris antecessorem, Siculaeque reginae ἀρχιατρὸν celeberrimum. Quae huius concertationis historia vos, I. O. plane docet, Italos, quos diximus, omnes credidisse, τὸ SEXS vocabulum esse non integrum, sed aliquo litterarum compendio scriptum. At vero vtriusque sententiae auctores, siquid video, ante omnia studiose indagare debuissent, vtrumne id reapse concisum sit, an contra perfectum et integrum: tum selectis demonstrare exemplis, *sexaginta* vel *sexdecim* nonnunquam in SEXS concidi solitum: et tandem argumentis vincere, quamcunque aliam vocabuli interpretationem falsam esse. Quod quum haud fecerint, andabatarum more pugnare, mihi certe visi sunt. Alia igitur via, alio ordine rem adgrediamur. Equidem, vniuerso tituli contextu, et singulis ipsius verbis examinatis, caussam mihi videor videre nullam, cur id pro vocabulo conciso habere oporteat. Ipsius enim auctor quum, praeter nominis compendium, et P. S. formulam lapidariam, vsu satis tritam, verbum conciderit nullum: facile inde coniicere licet, id non minus, quam cetera, integrum esse, nec quicquam compendii in eo latere. Tum inscriptionis cuiuscunque auctor, siquid aliud, perspicuitatem sequi, et nihil ita scribere debet, vt obscuritas quaedam et interpretandi difficultas inde subnascatur *). Quam legem

*) Ita iudicauit etiam F. de Abatibus Oliuerius, Hannibal Cam. Eq. D. Steph. marmorum Pisaurensium interpres

legem noſtrae auctor haud dubie migrauerit, ſiue *ſexaginta*, ſiue *ſexdecim*, in SEXS conciſo: quippe quod non ſolum alterutrum, ſed etiam *ſex* ſignificare poteſt. Hoc autem nec ipſe peruiderit? nec ceteri *decuriones* Pompeiani? Qui eos τὸ πολύσημον huius verbi latere potuerit? Et quae demum cauſſa eum perpulerit, vt verbum concideret? ſpatiine anguſtia? Haudquaquam. Verſus, in quo exſtat, tribus antegreſſis multo breuior eſt: adeoque conciſo non erat opus. Quin ſi vel maxime opus fuiſſet, multo rectius prius in LX, poſterius in XVI, vti in ſexcentis, amplius, marmoribus exſtant, concidere, et perſpicuitati ſimul, vt par erat, conſulere potuerit. Quod quum non fecerit, non temere τὸ SEXS vocabulum integrum eſſe contendo. Cui quae vis ſubiicienda ſit, poſthac videbimus. Porro Italos, quos ſupra dixi, reor ſelectis docere debuiſſe exemplis, *Sexaginta* vel *Sexdecim*, ita conciſum, in lapidibus aliisue monimentis vetuſtis offendi. Sed hoc, quod mecum mirabimini, plane praetermiſſum videtis. Quae *Lamius*, *Blancus*, *Migliaccius* exempla attulerunt, ad rem non pertinent, neque ipſorum ſententiam, ſiquid video, confirmare poſſunt. Denique eorum nullus argumentis ſat grauibus vicit, ſiquis anceps hoc vocabulum per *ſex* interpretatum eat,

 eum

terpres doctiſſimus, qui in nott. ad noua fragmenta Cyriaci Anconitani, not. 114. Non enim, inquit, veteres vocum compendia, nexus litterarum, notas ſiglasque adhibuerunt, vt poſterorum ingenia torquerent, ſed quia, vt ſapientiſſime docuit in prolegomenis ad notas Graecorum, pag. 5. doctiſſimus Corſinius, facile a ceteris ex inita iam conſuetudine, receptoque more intelligi poſſent, perinde quaſi voces omnes integre diſerteque conſcriptae forent.



eum rem prorſus incredibilem affirmaturum: leges enim, quibus litem componendam cenſuere, eandem quouis et loco, et tempore, obligandi vim haudquaquam habuiſſe, inter omnes conſtat. Quae quum ita ſint, coniecturam qualemcunque meam ſuper hac re VOBIScum communicabo. Iam primum omnium fuere, qui τὸ S poſt X non niſi lapicidae errorem eſſe contenderent. Ego vero rem longe ſecus eſſe arbitror: non quod operas errare et labi potuiſſe negem, ſed quod, re indagata, aliquam ita ſcribendi cauſſam inueniſſe mihi videor. Nimirum quicunque Populi R. numos et lapides nuper ſaltem verſare inchoauit, is non poteſt S τῷ X adiectum, tam in fine verborum, quam in medio, vocali potiſſimum, admodum raro conſonante ſequente, non obſeruaſſe. Vidit hoc modo ſcriptum PAXS, CAPPADOXS, FELIXS: quod confirmat Ez. Spanhemius *) atque Froelichius, V. Cel. **). Quibus adiici poteſt FELIXS, e marmoribus Oxonienſibus ***) atque Gruterianis †) depromtum: EXS, apud Schmidtium ††) CONIVNXS, in Gruterianis †††): quin hoc ipſum SEXS, in eisdem ††††): cuius marmoris titulum integrum poſthac ſuppeditandum cenſeo. Nec minus in medio vocabulo, vocali potiſſimum ſequente litteras S et X copulatas viderit, neceſſe eſt. Cuiusmodi exempla etſi *Lamium* et *Blancum*, VV. CC. attuliſſe, ſupra demonſtratum eſt: tamen non

*) de Vſu et praeſt. Numiſm. ant. Diſſ. II. p. m. 121.

**) Quattuor tentaminibus in re numaria vetere, p. 383.

***) p. m. 102. n. XXXVI.

†) p. CXXVI. vbi aliquoties ita ſcriptum exſtat.

††) Opuſculis, quibus res antiquae, praecipue Aegyptiacae explanantur. p. 412.

†††) p. DXXVII. n. 6.

††††) p. DCLXI. n. 8.

non possum, quin ea exquisitioribus quibusdam augeam. Vt, in SCto, A. V. C. CCCLXVIII perscripto, quod in Gruterianis est *), videre licet DEIXISTIS, pro *dixistis*, DIXSERVNT, pro *dixerunt* **): in fragmento I et II legis agrariae, iisdem ***) intexto, et aliis lapidibus, PROXSVMEIS, pro *proximis;* EXSIGATVR, pro *exigatur:* in aliis ****) scriptum est, EXSEDRAM pro *exedram*: in aliis †) et Reinesianis ††) EXSORNARVNT, EXSORDINE, EXSEMPLO: ita etiam FAXSEIS pro *faxis*, PEXSVS, SEXSVS reperiuntur. Quid? quod tam VIXSIT, quam VIXS. concisum pro *vixit*, in saxis Miseni non ita diu repertis, et Neapolin, in Ducis Noiensis supellectilem litterariam deportatis †††), exstare didici ex praefatione, qua Antiquitatum Herculanensium volumen V exorsi sunt ipsarum editores, longe celeberrimi; vel, vt verum dicam, Pasqualius Carcanius, vir inclutus, ac de rebus regni Neapolitani ciuilibus non minus, quam de vniuersa rep. litteraria immortaliter promeritus, cui, omni laude nostra maiori, vitam quam longissimam vna cum valetudine firma perpetuaque apprecamur, vt, quam texere incepit telam, recte ac feliciter pertexere possit. In medio vocabulo, consonante quidem

E 4 sequen-

*) p. CCCCLXXXXVIIII. n. 12.

**) p. CCIIII.

***) p. CCII. ss.

****) p. CLXXII. n. 3.

†) p. CCXIIII.

††) p. 475.

†††) Hunc Ducem Caraffa-Noiensem nuper mortuum, huiusque numos aliamque supellectilem litterariam in museum regium deportatos esse didici ex Francisci Neumanni, V. Celeb. populorum et regum numis veteribus ineditis, qui liber varia et exquisita doctrina refertus, hoc ipso anno Vindobonae promulgatus est. Commemoratur id, quod dixi, p. 8.



ſequente, tum duntaxat adiectum vidi, quum ea eſt cognata: vt, in Gruterianis *) EXSCE, et EXSCEPIT: praeterea nuspiam. Igitur, τὸ SEXS, vt conciſum eſſe largiar, *ſexsaginta* potius, quam *ſexsdecim*, ſignificare putem, propterea quod in illo τὸ S vocalis excipit, in hoc non item; ſed conſonans, eademque prorſus diſſimilis. Quae quum ita ſint, atque S τῷ X adiectum ſaepenumero exſtet in monimentis tam vetuſtiſſimis, quam quae, vti SCtum, quod dixi, et legis agrariae fragmenta, a viris doctis ſcribendique peritis haud dubie fuerant exarata: ſententia Froelichii, V. D. huius ὀρθογραφίας cauſſam indagantis, admodum probabilis videtur **). Tralaticium enim eſt, litteram Ξ apud Graecos, adeoque etiam X apud Latinos, non niſi ſero inuentam eſſe, et adhiberi coeptam. Quod demonſtrant tabulae Graecae vetuſtiſſimae, a Sponio et Maffeio, viris eruditiſſimis, in lucem prolatae: in quibus, loco τοῦ Ξ ſcripta videntur ΧΣ, vt, ΧΣΕΝΟΦΙΛΟΣ pro ΞΕΝΟΦΙΛΟΣ. Hoc Latini videntur imitati, ita tamen, vt Graecum characterem X ſeruarent, ne duo alii, CH, ante S ponendi eſſent; vti et ſolum C ante S reperitur in vetuſto numo, quo PACS, pro *pax*, poſitum exſtat. Haec ille fere. Cuius loco et PAXS ſcriptum eſſe, docet numus Aemilii ſtemmatis, quem

*) p. CCIII; XXX. n. 4.

**) Dum haec rurſus, vt prelo ſubiici poſſint, examino, hanc ipſam rem fortuitu cerno a Noriſio, V. Cel. (in Cenotaph. Piſan. Part. II. diſſert. 4. §. 2. p. m. 140. ſſ.) exploratam eſſe: cuius exponendae occaſionem ipſi ſuppeditarunt vtriusque tabulae, cui inciſi ſunt tituli, vocabula MAXSVMI, MAXSIMO. MAXSIMOS. MAXSIMIS. DEFIXSO. Huius viri locus dignus profecto eſt, quem hac opportunitate iterum iterumque legatis.

quem apud Valentem *), et in thesauro Morelliano **) conspicari potestis. Scribebatur etiam AXSIVS, pro AXIVS: quod gentis Axiae numi demonstrant: quorum in parte auersa L. AXSIVS . L F. legitur, et quos vterque auctor, quo dixi libro, exhibendos curauit. Ex quo non temere suspicor, priscos Latinos, antequam littera X vel inuenta esset, vel ab omnibus adhiberi coepta, in vocabulis, quae eam postulant, scribendis, CS vsurpasse: ea vero inuenta, et loco τῶν CS poni coepta, τὸ S non extemplo abiecisse, sed, vocali potissimum consequente, aliquamdiu addidisse, haud dubie propterea, quod id verbo pronuntiando lenitatem suauitatemque aliquam conciliare existimarent. Tandem vero factum, vt illud S, veluti litteram nec necessariam, et otiosam, prorsus omitterent. Cuius rei ignorantia, vel certe Codices vetustos recte inspiciendi socordia, si quid video, caussa fuit, cur librarii plerique varios in ἀπόγραφα sua inferrent errores. Eiusmodi lapsum deprehendere mihi videor in Liu. XXIIII. 3. vbi teste Io. Frid. Gronouio, Cod. Put. bis habet ETAROS, ac praeterea priori loco, G superius adscriptum ab altera manu. Eo deceptus Valla, priori hoc loco, *et agros* exsculpsit. Perperam. ETAROS per eas, quas dixi, caussas, natum erat ex prisca scribendi ratione ETARCS, τῷ C, quod facile fieri potuit, maxime si id somniculose inspexisset librarius, temere in O mutato. Recte igitur Salmasius et Gronouius priori loco *et arx*, posteriori, *sed arx* scribendum censuere. Quae obseruatio critica, nisi me omnia fallunt, aliis quoque veterum auctorum locis emendandis

 mul-

*) h. e. Vaillant in numis antiquis famil. Rom. n. 53.

**) tab. III. n. 8.



multum profutura videtur. Sed ad rem redeamus. Igitur SEXS in lapide hoc Pompeiano, ob sequens O, more vetusto scriptum est, neque operarum lapsus in eo suspicandus: praeterea verbum, non concisum, sed integrum, quoniam eiusmodi compendium, et sensum πολύσημον ancipitemque pepererit, et exemplo alio, vetustis in monimentis obuio, defendi nequit. Quo demonstrato, sequitur, vt id per *sex* interpretandum esse doceam, et morem, *sex annorum puerum in decurionum ordinem cooptandi*, non plane inauditum fuisse, argumentis vincam. Ac primo quidem τὸ SEXS pro *sex* positum, in lapidibus exstat. Gruterus protulit vnum *), Aquini in platea publica collocatum, in quo haec leguntur:

NICENIS **). PVPAE
P. ALFI. P. L. DIONYSI
DVILLIAE. L. I. APICLAE
DELICIVM. VIXIT
ANN. SEXS

Eo moesti parentes, tum quo amore filiam viuam prosequuti sint, tum quo dolore mortuam prosequantur, testificari voluere. Ipsam appellant *delicium*, vocabulo, de *infantibus tenellis*, quos impensius amabant parentes, adhiberi solito: quod vos, in auctorum classicorum libris bene versatos, latere nequit. Hinc marmor non nisi vnum indicandum censeo, quo id eadem vi et potestate vsurpatum videatis. Exstat hoc in Gruterianis ***) eiusque verba extrema

*) p. DCLXI. n. 8.

**) Sunt, qui NICENI legendum putent.

***) p. eadem, n. 10.

trema haec ſunt: DELICIVM. VIXIT. ANN. III. In hoc vt trium annorum infans *delicium* appellatur, ita in lapide antegreſſo credibile eſt, non *filiam*, quae fuiſſet annorum LX, vel ſaltem XVI, ſed puellam ſexennem, eodem nomine appellari. Atque hoc exemplum ſatis, me iudice, vincit, *τὸ* SEXS nonnunquam adhiberi ſolitum pro *Sex*. Sed quaeretis forſitan, fierine potuerit, vt *ſex annorum puer* in *decurionum*, ſiue *ſenatorum* ordinem cooptaretur? Equidem video, et lubens meritoque concedo, hoc ſi noſtris inſtitutis iudicare velitis, abſurdum atque ridiculum videri. Sed non minus ridiculum, non minus abſurdum foret, inſtituta Romana noſtris diiudicare. Quare ſi exemplis et teſtimoniis docere potuero, quo tempore lapis hic Pompeianus collocatus ſit, eo non inuſitatum in municipiis et coloniis, neque inauditum fuiſſe, paucorum annorum pueros *decurionum ordini* adſcribere: res omnis erit confecta, quicquid mores noſtri, quin leges nonnullae reclament. Atqui vero huiusmodi exempla et teſtimonia memoriae prodita reperimus. Ipſi enim imperatores, de hominibus in ordinem Nicomedienſium adlegendis conſulti, reſcripſere *), diuturnae conſuetudinis hoc in negotio obſeruatae, nonnunquam rationem eſſe habendam: et quamuis minores XXV annis decuriones per leges creari non debeant, tamen *ex cauſſa* poſſe. Id quod magis etiam apparet ex eo, quod Imperatores, Seuerus et Antoninus, Septimio Zenoni **) reſcribere voluere: „Pro infante filio, quem decurionem eſſe „volui-

*) leg. 17. D. de Decur. et filiis eorum.

**) leg. 21. §. 6. D. ad municip. et leg. 1. C. de municip. et honor.



„voluisti, quamquam fidem tuam in posterum ad„strinxeris; tamen interim onera sustinere non co„geris: cum ad ea, quae mandari non possunt, „voluntatem dedisse videaris„. Hoc idem non minus demonstrat sollenne edictum, quo legum latores, audito, septem vel octo annorum pueros decurionum ordini temere adscribi solere, huiuscemodi denominationem vetuere, et simul sanxere, vt nemo, nisi qui decimum et octauum aetatis annum ingressus sit, in decuriones recipiatur*). Huiusmodi interdicto, aliisque similibus**) quid opus fuerit, nisi plerisque in ciuitatibus consuetudo tenuisset, VIII, VII, minus, annorum pueros decurionum ordini adlegendi? Praeterea Basilius ***) Caesareae puerum ὄπω τέταρτον ἔτος ἀπὸ γενέσεως ἄγοντα — — — τῦ βυλευτηρίυ μετέχοντα, h. e. nondum quadriennem, inter buleutas, seu decuriones versari, commemorauit. Haec omnia, si quid video, argumento sunt, decuriones Pompeianos, *N. Popidium*, puerum sexennem, cooptando, rem non inusitatam, non prorsus inauditam fecisse.

Cuiusmodi pueri, ordini decurionum adlecti, *decuriones praetextati* sunt vsurpati: iique discendi potius, quam censendi gratia, in curiam venere †). Quod ea confirmat lex ††), qua, quoniam minores XXV annorum decuriones sint, decurionum sportulas accipere iubentur; suffragium inter ceteros

*) leg. 19. Cod. Theod. tit. de Decur.

**) leg. 7. 35. ei. tit.

***) ep. 389.

†) Euerardus Otto de Aedilibus Coloniarum et municipiorum, p. 157.

††) l. 6. §. 1. D. de Decur. et eor. filiis.

teros ferre vetantur. Eiusmodi *decuriones praetextati* recenſentur in tabula Canuſina, apud Sponium *) et Fabrettum **): item in alia, quam a Riccardo, patricio Florentino, in muſeo priuato ſeruatam, Io. Lamium, V. Celeber. cum commentario promulgaſſe conſtat ***). Ordo, quo magiſtratus, in ea deſcripti, ſeſe excipiunt, hic eſt:

Patroni CC. VV.
Patroni EE. QQ. RR.
Quinquennalicii.
Allecti inter quinquennalicios.
II viralicii.
Aedilicii.
Quaeſtoricii.
Pedani.
Praetextati.

De omnium poſtremis diſſerens editor clariſſimus, negat †) facile dictu eſſe, qui iſti fuerint. E Liuio ††) conſtare quidem ait, magiſtratus colonicos et municipales geſſiſſe togam purpura praetextam: ſed cur poſtremi κατ' ἐξοχὴν *praetextati* dicantur, ſeſe ignorare. Qui, ſi id, quod ego demonſtratum puto, probabile credidiſſet, haud dubie longe aliter de iis ſtatuerit. Senatores Rom. ac iudices eos, qui ius ſententiam aliquam proponendi non haberent,

*) Miſcellan. Antiqu. erudit. P. I. p. 280. ſ.

**) Inſcript. domeſt. cl. VIIII. n. 9.

***) Ioann. LamI in antiquam tabulam aheneam, decurionum nomina et deſcriptionem continentem, et in priuato Ampliſſimi dynaſtae, Senat. Equit. Vincent. Mar. Riccardi, PatricI Florentini muſeo aſſeruatam, obſeruationes.

†) l. c. p. 19.

††) l. 34, 7.

rent, ſed pedibus ſaltem in aliorum ſententias abirent, *pedaneos* vſurpatos, adeoque ſenatores iudicesue fuiſſe omnium poſtremos, qui auctoritate minimum pollerent, tralaticium eſt. Hoc idem in *decurionibus* obtinuiſſe confirmatur eo, quod in ipſorum deſcriptione *pedani*, (ſine dubio pro *pedanei*) commemorantur. Qui cum in cenſendo poſtremi, minimum iam valerent auctoritate: *praetextatos*, qui illos excipiunt, non praeſtantiores, ſed ipſis inferiores fuiſſe videtis. Itaque credibile eſt, hos ne pedibus quidem, vt illi ſolebant, in cuiusquam abiiſſe ſententiam, ſed ceteris decurionibus, diſcendi cauſſa duntaxat, adfuiſſe, toga tamen praetexta, ceterisque ornamentis decurionalibus vti potuiſſe. Et quemadmodum Romae puerum, antequam togam puram ſumeret, *praetextatum* dictum eſſe conſtat; ita *decurio*, qui puer, necdum cenſendo idoneus eſſet, *praetextatus* videtur appellatus. Quo conceſſo, vtramque tabulam, Canuſinam et Riccardianam, documento eſſe cernitis, *decurionum ordini* non raro pueros adlectos eſſe.

Hinc etiam animum inducere non poſſum, vt in lapide aliquo Gruteriano *) pro VI legi iubeam LVI; quod notae adſcriptae auctor factum voluit. In eo, ex Vlpiae Traianae ruderibus effoſſo, haec leguntur:

ANTONIAE. BONOSAE. VIXIT. ANN
XXXVIII. AVRELIO. CONSTANCIO. EQ. R
DEC. COL. VIMIN. VIXIT. ANN. VI
P. ANTONIO. VICTORI. MIL. LEG. VI
VICTRI-

*) p. CCCLXXI. n. 5.



VICTRICIS . FRVM . VIXIT . ANN . XVIII
P . ANTONIVS . SVPER . INFELIX . PATER

Primum enim filio, $\overline{LVI}$ aetatis anno fatis defuncto, patrem superstitem monimentum posuisse, parum verisimile videtur. Et vt hoc accidere potuerit, qui mera haec coniectura, sine vllo fugientis L vestigio, satis momenti habeat, ad monimentum aliquod publicum mutandum? Tum caussam, cur $\overline{VI}$ in $\overline{LVI}$ mutari iubeatur, non aliam fuisse subodoror, quam quod sexennem puerum inter *decuriones Viminiacenses* exstitisse, vix credibile iudicatum sit. At vero quum aliis e monimentis tenerae aetatis pueros coloniarum atque municipiorum decurionibus nonnunquam adlectos constet: cur Aurelio Constantio, equiti R. tribuni militum, qui in coloniae Viminiacensis vicinia non parum auctoritate valuisse videtur, filio, non itidem contigerit, vt ipsius decuriones, patris gratiam aucupantes, filium sexennem in ordinem suum cooptarent? Ego sane nihil, quod illius aetatis moribus repugnet, hic deprehendo: ideoque hoc in saxo $\overline{VI}$ non minus, quam in Pompeiano SEXS, verum esse censeo. Quod idem magis etiam confirmaret lapis Taruisianus, in Gruterianis *), si integer esset: vtpote in quo ciuitatis illius ordo trium annorum puerum decurionatu dignum iudicasse memoratur. Sed argumentum, quo meam tuear sententiam, ex eo fracto et ἀκεφάλῳ depromere vereor: maxime cum exempla, in medium allata, eam iam satis confirmare videantur **). Sed clamant

Itali,

*) CCCCLXXXXIIII. n. 4.

**) conf. Capacius Antiquit. et hist. Neapolit. c. 10. ac Reinesius in Syntagm. inscript. cl. VI. n. 91. vbi pueri, quinquennis alter, alter



Itali, quos ſupra dixi, ſex annorum puerum *non eſſe ſui iuris*; neque adeo impenſam, quantam aedis alicuius inſtauratio poſtularit, ſine patris tutoriſue auctoritate et conſenſu facere potuiſſe: neutrius autem cum hoc in ſaxo fiat mentio, neceſſe eſſe, vt *Popidius* ſui iuris homo, et *SEXSaginta* annos natus fuerit. Quod imprudenter, ne dicam temere inconſulteque vrgeri mihi certe videtur. Nam ſi aedes, quod lapis teſtatur, Popidii, filii, pecunia, quam adoptatus fortaſſis a quopiam hereditate acceperat, reapſe inſtaurata eſſet: hic ſolus etiam impenſae ſuae fructum capere, neque eum cum quocunque alio partiri debuit. Et vt ipſe Popidius, pater, quemadmodum Bacchi ſtatuam fieri curauit, ita Iſidis aedem ſua pecunia reſtitui iuſſerit: fierine potuit, vt is, aut admodum ſenex, decurio fieri per leges non poſſet *), aut, ſi potuiſſet, iure ſuo non vſus, honorem ſibi deſtinatum, conſenſu ordinis, filio concederet **), aut denique, propter vitae inſtitutum, decurionatu excludendus eſſet? Quicquid horum verum eſſe concedatis, ego certe nihil inuſitati, nihil abſurdi in eo animaduerto. Hinc mea in ſententia, *Popidium*, filium, cum eſſet annorum *ſex*, in decurionum ordinem cooptatum, eſſe diutius perſto: eoque magis, quod Italus alius, idemque vir doctiſſimus, eam ipſam tueri non dubitauit ***).

Con-

alter ſexennis, equo publico donati memorantur, certe non vt re ipſa ſtipendia facerent, ſed vt Equit. Rom. honore fruerentur.

*) Maiores enim annis LV, ad *decurionatus honorem* vocari *inuiti*, prohibebantur, leg. 2. §. 8. de Decur. et fil. eorum.

**) Sueton. Aug. c. 29.

***) v. Spiegazione dell' altra delle due antiche baſi di marmo, ſcoperte il dì 22.

Conſequentia inſcriptionis verba, ORDINI. SVO interpretationem non requirunt copioſiorem, ſupra iam expoſito, non niſi *decurionum collegium* eis ſignificari. Vnde actum me agere egomet ipſe pronuntiem, ſi plura hac de re commentari velim.

Neque de τῷ GRATIS, quod ſequitur, verboſe diſputare neceſſe eſt. Quin ego nihil prorſus de eo diſſererem, niſi, quem ante dixi, *Migliaccium*, in eo interpretando, nodum in ſcirpo quaerere vidiſſem *). Is huic vocabulo negat heic loci vim eam ſubiiciendam eſſe, qua vel rem, a decurionibus factam, *N. Popidio* gratam et iucundam, adeoque ipſo non inuito peractam eſſe; vel impenſarum earum, quas decurio quisque recens creatus, alioqui facere debuerit, remiſſionem ſignificet; ſed eam contra, qua exemtionem a decurionum impenſis omnibus, quamuis multis et grauibus, et vnoquoque anno faciendis, denotet. Cauſſas, cur ita cenſeat, vel admodum leues adfert, vel potius nullas. Vnde vos, I. O. ei adſtipulari nolim. Cui enim probabile videatur, decuriones reliquos huic ſoli tam ſingulare priuilegium ſpondere voluiſſe, cum haud ignorarent, quicquid ei demtum foret ex tot tantisque impenſis, quot quantaeque cum hoc munere copulatae eſſent, id ad ſe redundaturum, et oneribus, cuique per ſe ferendis, adiectum iri? Huiusmodi liberalitas longe maior profecto fuerit, quam qua *Popidius*, aede

22. di Novembre 1770 dal Cavalier Domenico Bonamini, letta nell' Accademia Peſareſe la ſera del giorno primo di Marzo 1771, dal Conte *Vincenzo Machirelli.* p. XII. ſſ.

*) l. cit. p. 30. ſſ.



aede Isidis refecta, de ciuitate sua bene meritus erat: concessoque simili priuilegio, decuriones ceteri sibimet ipsi iniuriam intulerint longe maximam. Quod vt a vero alienum, sic contra credibile arbitror, *Num. Popidium*, vel potius huius patrem, τὸ GRATIS in marmoris titulo adhibitum voluisse, vt de decurionum decreto, sibi perquam honorifico, magis constaret; ac quisque, eo lecto, intelligeret, quam pio, quam grato vterque essent animo, et quanti facerent beneficium, sibi tributum eo, quod decuriones ceteri collegam recens creatum, eumque non nisi sex annorum puerum, sine impensis, ea opportunitate fieri solitis, cooptare decreuerint. *Ob introitum* enim, qui dicebatur, decurio quisque collegis, reip. ac plebi, non nihil largiri debuit. Quod effici cogique potest ex Ciceronis, Verrem iudicio persequentis, criminatione *), qua eum fuisse negat, tota Sicilia per triennium vlla in ciuitate gratis fieri senatorem. Quae inepta, quae inconsiderata, quin iniusta fuerit, nisi nonnunquam factum audiisset, vt impensarum id, quod decurioni cuique recens creato alioqui per leges faciundum erat, nouis quibusdam ex veterum decreto singulari, de ipsis cooptandis facto, grauiores ob caussas condonatum sit. Quod non minus liquido demonstrant, quae Plinius **) de Bithynis et Ponticis commemorat: apud quos, lege Pompeia sancitum ait, vt decuriones certam pecuniae summam *ob introitum* penderent. Cuius rei testimonia complura conquisiuit Alciatus ***): quem adiisse vos non poenitebit. Igitur verisimillimum esse reor, decurionem quemque nouum, qua-

*) Verr. l. II. c. 49.

**) l. x. ep. 48. 113.

***) ad leg. 239. D. de verb. signif.

quacunque in ciuitate ordini adſcriptum, *honorarium decurionatus* (ſic vſurpauit ipſe Traianus) ſoluere debuiſſe. Haec autem impenſa ſicui decurioni recens cooptato remiſſa eſſet, is *gratis adlectus* dicebatur. Id quod *N. Popidio*, de quo quaeritur, ob pietatem liberalitatemque contigiſſe, lapis hic Pompeianus teſtatur. Hoc idem aliis non paucis eueniſſe apparet ex non paucis lapidibus: vt, Gruteriano *), quo teſte cuipiam OB . MERITA . PATRIS . HONOREM . DECVRIONATVS . GRATVITVM . DECREVIT . ORDO . DECVRIONVM . ET AVGVSTALIVM . ET . PLEBS . VNIVERSA ſc. Sueſſanorum in Campania; item ex conſequenti **), in quo eadem memorantur. Conſimili ratione aliis, alios honores GRATIS decretos reperimus. Vt, in Gruterianis ***) dicitur de non nemine: HVIC ORDO . DECVRIONVM . OB . MERITA . EIVS . HONOREM . AVGVSTALITATIS . GRATVITVM . DECREVIT . Plures, quod facile poſſim, commemorare nolo. Ex his paucis enim, quae vis et poteſtas τῷ GRATIS ſubiicienda ſit, vos iam ſatis perſpicere opinor.

Supereſt, vt de vltimo tituli vocabulo, ADLEGERVNT, paucis diſſeram. Eſt id hac in cauſſa verbum fere ſollenne, quod centies, amplius, in ſaxis vetuſtis vſurpatum reperitur: vt, in Gruterianis †), ADLECTVS . IN . ORD . TARRACON . In alio ††), quo P. Sextilius dicitur DECVRIO ADLECTVS . EX . VETERIB . NOLAN . cet. Adhibitum etiam eſt de femina, eademque dicta

 in

*) p. CCCCLXXV. n. 3.
**) p. ead. n. 4.
***) p. CCCLIIII. n. 7.
†) p. CCCLV. n. 4.
††) p. CCCCLXVIII. n. 9.



in marmore Gruteriano *), ADLECTA. AB. ORDINE. IN. DEC. AVGVSTAL. Adhibitum denique de aliis, alios in ordines cooptatis: vt, in iisdem **) memoratur non nemo ADLECT. INT PRAETOR. item alius ***), INTER. TRIBVNITIOS ADLECT. Exempla plura silentio praetermitto, ratus, ex his, quod affirmaui, iam satis intelligi: nimirum τὸ *adlegere*, hoc in negotio verbum sollenne fuisse, et τȣ̃ *cooptare*, quod Cicero vsurpauit †), vim habuisse. Vtriusque loco, Plinius ††) τὸ *adiicere* adhibuit. Quo obseruato, locum alium Plinianum †††), qui haud dubie in mendo cubat, facile sanari posse credidi. Ibi legitur, *quam buleutae addunt beneficio tuo.* Quid sibi velit τὸ *addunt*, neminem docere ait Gesnerus ὁ πάνυ. Casaubonus quidem coniecit *additi*, plaudentibus aliis: *adiuncti* malebat Gesnerus. Quid? si legamus *adiecti*, vel *adlecti*, participium verbi sollennis? Equidem alterutrum multo rectius poni existimem, quam aut *additi*, aut *adiuncti:* quorum neutrum in lapidibus inuenire memini. Quod cuique melius videtur, id per me sequatur licet: ego non impedio. Quin de omni hac caussa non nisi hoc vnum, quod supra iam quodammodo dixi, adiiciam, ex iis, quae adhuc disputata sint, palam fieri, penes triplex hominum genus, ius et potestatem decuriones nouos adlegendi fuisse. Primum, *decuriones* ipsos deminutum ordinis sui numerum explere potuisse: tum *censores*, *per censum in Bulen legisse* ††††): tandem ex singulari imperatorum

*) p. MLXXXVIII. n. 12.
**) p. CCCCXXXXVI. n. 3.
***) p. ead. n. 9.
†) pro Coel. c. 11.
††) l. X. ep. 113.
†††) lib. eiusd. ep. 48.
††††) Plin. l. X. ep. 113. quos lex Pompeia, apud

torum clementia indulgentiaque nonnullos, vel ſupra numerum, *decurionum ordini* adlectos eſſe. Quod vt ex Plinio *) iam nouimus, ita hoc idem demonſtrat lapis Gruterianus **), in quo ADLE-CTVS . AB . DIVO . TRAIANO . IN . SPLENDID ORD . commemoratur. Quos inter vtrumne diſcriminis quicquam interceſſerit, an nullum; inueſtigato non opus arbitror. Quin, ſi indagatum velitis, ego haud ſcio an quiſpiam huiusmodi quaeſtionem, propter monimentorum paucitatem, recte et ordine adgredi, ac prorſus perſoluere poſſit.

Expoſitis, quae mihi ad lapidis huius Pompeiani titulum recte interpretandum viſa ſunt neceſſaria; non dubito, quin VOBIS, I. O. ex iis lectis ponderatisque pateat, quot quantaeque res, ad ipſam iuris ſcientiam pertinentes, eiusmodi antiquitatis monimento contineantur, quosque vos adeo, in addiſcendo Iure Rom. occupati, fructus ex iis capere poſſitis. Quo cognito et explorato, VOS ſcio, pro ea, qua eſtis, diſcendi cupiditate, nemine etiam auctore et ſuaſore, monimenta ſimilia nonnunquam perſcrutaturos eſſe, vt eorum, quae in ſcholis tradita ſunt, argumenta inde depromatis. Quo labore, non vtiliſſimo ſolum, ſed etiam, quod VOBIS ſpondere poſſum, iucundiſſimo, perficietis, vt ad multo pleniorem et elegantiorem, quam ii, qui eiusmodi doctrinae adaugendae praeſidia, vel ignorant, vel temere deſpiciunt, iuris ſcientiam perueniatis; eoque facto, ſiue reſpondere, ſiue ſcribere, ſiue cauere iubeamini, ſingu-

Bithynos et Ponticos ſancita pecuniam dare noluit. quos decurionatus honorarium pendere oportuit.

*) Plin. l. X. ep. 48. et 113.

**) p. CCCLXXXX. n. 5.



ſingula ICti probabilis munera recte et cum laude exſequamini. Faxit Deus O. M. vt id vobis contingat, vosque me, vera tradendo, recta et honeſta ſuadendo, ad ſalutaria non minus, quam ad vtilia cohortando, praeceptoris et amici probi honeſtique perſonam geſſiſſe, in poſterum intelligatis. Quo cognito, vos me, vt ego vos, nunquam non amore ſtudioque proſequuturos eſſe confido. Valete. Dab. e Muſeo, ipſis Cal. Septemb. A. O. R. CIƆIƆCCLXXVIIII.



